JUS CANONICUM GENERALE

ARCHEVÊCHÉ
de
CAMBRAI

Cambrai, le 8 Octobre 1899.

*Nous prions par ces présentes l'Ordinaire de Paris d'accorder l'***Imprimatur** *à la 2e Edition de l'excellent volume :* **Jus Canonicum generale.**

Em. LODDEBEY,
Vic. gen.

IMPRIMATUR
Parisiis die 12a Octobris

H. BUREAU,
V. G.

JUS CANONICUM
GENERALE
DISTRIBUTUM IN ARTICULOS

QUOS COLLEGIT ET ORDINAVIT

A. PILLET

PRESBYTER DIŒCESIS CAMBERIENSIS
JURIS CANONICI PROFESSOR ORDINARIUS
IN FACULTATIBUS CATHOLICIS
INSULENSIBUS

EDITIO ALTERA
aucta et emendata

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA DICTA « CASSETTE, » 10
1900

LECTORI.

Quæ olim didici Romæ in Seminario Romano ad sancti Apollinaris, et deinde per annos plurimos in Catholico Archigymnasio Insulis docui, hæc eadem conscribenda et typis vulganda esse existimavi.

Non nova sunt ea quæ in hoc libro meo continentur, sed nove et sub forma adhuc inusitata disponuntur. Sæculo enim nostro legislatores jura proponenda fore curaverunt in Codicibus, *in quibus leges brevibus et lucidis formulis expressæ promulgantur. Et, si in istis operibus, multa sunt quæ, quoad doctrinam, minime sint approbanda, forma tamen horumce codicum a nonnullis justissime laudatur. Plurimi nunc ideo, et quidem ex clarissimis inter nostros, optaverunt ut leges canonicæ simili forma redigantur, clero populoque fideli sic præsentandæ. Hoc scilicet in votis est multorum ut alter exsurgat Raymundus qui novum librum Decretalium alteri Gregorio benedicendum, approbandum et confirmandum*

offerat. In hoc opere pretioso, selectio facienda erit inter veteres leges, nova erunt addenda, plurima plus minusve mutanda ; et sic legislatio nostra renovabit ut aquila, juventutem suam, in mensura quam tempora nostra opportunam aut necessariam fecerunt. Nos autem clerici et fideles, qui sine lege vivere non possumus, lætantes audiemus, tanquam filii obedientissimi, vocem illius Ecclesiæ Sanctissimæ, quæ vere dicitur et est : Mater et magistra populorum : magistra virtutum et custos morum.

Huic grandi operi perficiendo memet non accinxi. Ad hoc in me penitus deficit non tantum auctoritas legifera, sed scientia requisita ad talem et tantum laborem. Ideo, nec librum meum Codicem *nominare volui. Felicem me putarem si illi viro quem ad hoc Deus est vocaturus, ego, quasi humillimus præcursor, viam parare potuissem !*

Exponere leges ecclesiasticas generales, quales exprimuntur sive in Corpore Juris, sive inter decreta Concilii Tridentini, sive in constitutionibus Pontificum, sive ex decisionibus Congregationum, hæc fuit mens mea, hunc libellum conscribendo. Brevis esse volui, obscuritatem tamen pro viribus

vitando. Opus practicum conficere conatus sum, ad usum illorum quibus Juris dicendi aut applicandi munus incumbit. Discussiones et demonstrationes sedulo omisi. Magister, cujus erit hanc doctrinam coram discipulis evolvere, utatur documentis quæ ad calcem paginarum indicantur, et libris quos inter canonistas scripserunt non tantum veteres ut Reiffenstuel, Ferraris, Benedictus XIV, etc; sed præsertim recentiores, nempe Soglia et Vecchiotti, de Camillis, Santi, Grandclaude, Craisson, etc. Cum istis doctoribus seorsim nominare liceat V.Cl. Philippum de Angelis, qui mihi fuit olim magister optimus et doctissimus, et qui diu, erudite et eloquenter, in textu Decretalium docendo et explicando, verbo et scriptis operam navavit.

In hoc opere tractavi de personis, *de* rebus, *de* judiciis *et de* pœnis, *de his cunctis quæ contemplatur scientia canonica. Sæpe usus sum verbis ipsissimis quæ sive in documentis authenticis, sive apud auctores melioris notæ collegi. Forsitan tamen, in libro meo, doctores quædam invenient quæ ipsi non approbanda judicabunt. Si tamen erravi, hoc non accidit ex defectu reverentiæ et amoris erga Ecclesiam Romanam, et ipsius Caput*

divinitus constitutum, Supremum nempe Pontificem. Semper enim volo et volui non tantum adhærere doctrinis ore Apostolico definitis, sed etiam eligere inter opiniones liberas, illam quæ Sanctæ Sedi potior videtur. Cathedræ Petri volo enim semper mente, et corde consociari, quia in illa, omnibus diebus est, vivit et docet Christus Dominus, qui est ipsissima Veritas et Justitia æterna.

Dr A. PILLET

PRÆFATIO
SECUNDÆ EDITIONIS

Alteram editionem, indice rerum ditatam, plebi christianæ offerimus, libelli nostri quem jam a pluribus annis publici juris fecimus, et quem plurimi laudare dignati sunt, etiam ex Eminentissimis et doctissimis viris.

Operi nostro primitivo paucæ factæ sunt innovationes. Legislatio Ecclesiastica particeps est enim prudentiæ et sapientiæ Altissimi, et ideo non nisi raro et infrequenter mutatur. Multa autem documenta pontificia indicata reperientur quæ, nuper promulgata, antiquas leges explanaverunt aut confirmaverunt.

Innumeri sunt illi qui, ut nobis notum factum est, diem expectant in qua Pontificia potestas operi analogo manum applicabit, et toti Ecclesiæ authenticum dabit codicem canonicum, juxta necessitates et conditiones ævi nostri. Concedat nobis Omnipotens pacificos et tranquillos dies in quibus iste labor confici et consummari poterit, ad incrementum gloriæ Dei et reipublicæ christianæ utilitatem.

Mense septembri, anni 1899.

D[r] A. Pillet.

JUS CANONICUM GENERALE [1]

DISTRIBUTUM IN ARTICULOS

CAPUT PRÆVIUM.

DE DEFINITIONE ET DE DIVISIONE JURIS CANONICI.

1 – **Jus canonicum** definitur : Collectio legum ecclesiasticarum ; seu fusius : Jus explicatum, sancitum et approbatum ab Ecclesia per episcopos et præsertim per Romanum Pontificem ad rectam Christianorum institutionem.

2 — Jus canonicum dividitur in *scriptum* et *non scriptum,* prout agitur de legibus scriptis et in forma promulgatis, aut de consuetudinibus ab Ecclesia approbatis

3 — Jus canonicum est etiam *generale* aut *particulare*, prout spectatur tanquam collectio legum quæ diriguntur ad totam communitatem christianam, aut ad partem tantum Dominici gregis, v. g. nationem, diœcesim, familiam religiosam.

(1) Lectores nostros monitos esse volumus de intentione nostra exponendi tantum leges ecclesiasticas generales, tacendo de legibus particularibus, de indultis et de consuetudinibus diversorum locorum.

4 — Ratione temporum, jus canonicum dividitur in *antiquum*, *novum* et *novissimum*. Antiquum jus viguit a primordiis Ecclesiæ usque ad tempora Gratiani, scilicet usque ad sæculum XII. — Jus novum continetur in diversis libris qui constituunt *Corpus juris canonici*. — Jus novissimum constat legibus sancitis a tempore conclusionis Corporis juris, scilicet a sæculo XV.

5 — Jus canonicum dividitur in jus *publicum* et jus *privatum*. — Ad tramites juris Justinianei, utrumque definiri potest : Jus publicum illud est quod ad statum rei romanæ spectat ; privatum vero ad singulorum utilitatem (1). Aliis verbis, jus publicum dici potest jus constituens Ecclesiæ ; privatum vero jus constitutum.

(1) Institutionum lib. I. tit. I *de Justitia et Jure*.

DE PROLEGOMENIS

CAPUT I

De Constitutione Ecclesiæ.

6 — **Ecclesia** est societas perfecta, plane libera, pollens suis propriis et constantibus juribus, sibi a suo divino Fundatore collatis (1).

7 — Vocatur societas perfecta, illa quæ in semetipsa habet omnia media ad sui conservationem suique finis assecutionem sufficientia (2).

8 — Inde sequitur quod Ecclesia non pollet tantum jure semetipsam libere administrandi, sed etiam potestate legislativa, judiciaria et coërcitiva, scilicet potest leges condere, judicia proferre et pœnas decernere (3).

9 — Ex constitutione sibi data a Christo, Ecclesia dici debet societas monarchica absoluta et inæqualium, non autem democratica vel aristocratica, neque etiam aristocratia aut democratia temperata.

10 — Licet Ecclesia non sit unica societas quæ

(1) Cf. *Syllabus*, prop. XIX. — Encyclica SSmi Leonis XIII, *Præclara*, diei 20 junii 1894. — (2) S. Thomas, 1a 2æ, q. XC, art. 3, ad 3; card. Tarquini: *Institutiones Juris Ecclesiastici publici.* — (3) Const. Pii VI *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794; Pii IX *Ad Apostolicæ*, 22 aug. 1851 et *Syllabus*, prop. XXIV.

perfecta dicenda sit, tamen independens est in provincia sua, et jura sua exercere potest absque civilis gubernii venia et assensu (1).

11 — Inde sequitur quod diversum est objectum potestatis ecclesiasticæ et potestatis civilis, ita ut utraque dici debeat suprema in proprio suo dominio, licet jus civile non prævaleat in conflictu utriusque potestatis (2).

12 — « Ecclesiam in suorum officiorum munere « potestati civili velle esse subjectam, magna quidem injuria, magna temeritas est. Hoc facto per« turbatur ordo, quia quæ naturalia sunt præpo« nuntur iis quæ sunt supra naturam (3) ».

13 — Cum eædem personæ utrique societati subjiciantur, et cum aliunde finis societatis civilis sese referat ad finem societatis ecclesiasticæ, rejiciendum est systema *separationis* utriusque societatis, per tritum axioma enuntiatum : *Libera Ecclesia in libero statu.*

14 — Item rejiciendum est systema *confusionis* utriusque societatis, sed prædicandum est regimen *distinctionis* et unionis relate ad unicum finem, scilicet ad hominum pacem et salutem.

15 — Etiam, penitus rejiciendum est systema quod præstantiam tribuit societati civili super societatem ecclesiasticam, et quod practice exercetur

(1) Cf. *Syllabus*, prop. XX, et const. Leonis XIII *Immortale Dei*, 1 nov. 1885. — (2) *Syllabus*, prop. XLII. — (3) Const. Leonis XIII *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

per sic dicta jura : *exequatur, placiti regii* et *appellationis ab abusu* (1).

16 — Retinendum est systema quo utraque potestas concurrit ad bonum subditorum, ita tamen ut status, licet independens in opere suo, recognoscat Ecclesiam ut societatem superiorem quæ jus habet dirigendi omnes actus morales illorum etiam qui præsunt societati civili. Sic oportet *gladium esse sub gladio,* et sic dicendum est : spiritualem et dignitate et nobilitate terrenam præcellere potestatem (2).

17 — Synodus Tridentina sæculares « quoque prin-« cipes officii sui admonendos esse censuit, confidens « eos, ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei Eccle-« siæque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ « restitui non tantum esse concessuros, sed etiam « subditos suos omnes ad debitam erga clerum, pa-« rochos et superiores ordines reverentiam revoca-« turos (3) ».

18 — Ex jure divino, tanquam **consequentiæ** principii supra enuntiati, existunt quædam leges de constitutione Ecclesiæ, quæ ideo a nulla humana potestate mutari possunt. Istæ sunt præsertim :

(1) Cf. Allocutio Pii IX *Meminit unusquisque,* 20 nov. 1851; *Nunquam fore,* 15 dec. 1856, et *Maxima quidem*, 9 jun. 1862. — Litteræ ejusdem Pontificis *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851, et *Syllabus,* prop XX et XLI. — (2) Bulla Bonifacii VIII *Unam sanctam*, cap. 1 tit. *de Majoritate et obedientia* VIII, in Extrav. Communibus, et. cap. 6. eod. tit. XXXIII, lib. I. Decretal. — (3) Conc. Trid. sess. XXV cap. 20, *de Ref.*

19 — Ecclesia est societas inæqualium, id est: Ecclesiæ subditos distinctos esse voluit Christus in duas classes, quarum altera populum seu *laicos* continet, et altera coalescit ex illis quibus cura sanctificationis animarum et ecclesiastica potestas committuntur, et isti vocantur *clerici*.

20 — Clericis duplex commissum fuit officium: 1° administrandi sacramenta; 2° fideles dirigendi in viam salutis. Ideo duplex illis competit potestas, et duplex inter illos constituitur hierarchia, *ordinis* scilicet et *jurisdictionis*. Prior definitur: Potestas quæ ordinatur ad sacramenta conferenda; posterior vero: Potestas pascendi.

21 — Ordinis potestas indelebilis est, ita ut ille qui ea pollet semper valide agat, etiamsi illicite, in sacramentorum administratione.

22 — Hanc ordinis hierarchiam distinxit Christus in episcopos, presbyteros et ministros, qui diverso gradu hac pollent auctoritate (1).

23 — Potestatem jurisdictionis non ita inamissibilem fecit Christus; et illam perfecte constituit in Romano Pontifice et in episcopis: quadamtenus autem in presbyteris et diaconis.

24 — Facultas facta est Ecclesiæ instituendi alios gradus tum in hierarchia ordinis tum in hierarchia jurisdictionis.

25 — In primordiis Ecclesiæ, extraordinarias quasdam facultates tribuerat Christus singulis apostolis,

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, can. 6.

quas tamen in successores eorum dimanare noluit.

CAPUT II

De lege ecclesiastica generatim.

§ I. — DE NOTIONE LEGIS ECCLESIASTICÆ.

26 — Cum lex sit : « Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata (1), » cum voluntate perpetuo obligandi, **lex ecclesiastica** definienda est : Ordinatio rationis promulgata ab illis qui principes sunt in Ecclesia, ad bonum spirituale christianorum, cum voluntate illos perpetuo obligandi.

27 — Debet esse lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta (2).

28 — Condere possunt leges ecclesiasticas illi tantum qui veluti principes præsunt societati ecclesiasticæ, et sunt : Romanus pontifex et Concilium generale pro tota Ecclesia ; episcopi, in suis diœcesibus ; abbates et præsules in territorio in quo jurisdictionem quasi-episcopalem obtinent ; capitula cathe-

(1) S. Thomas. *Summa theol.* 1ª. 2ª. q. XC, a. 4. — (2) Can. 2. dist. IV. 1ª parte Decreti.

dralium, sede vacante; superiores ordinum religiosorum in capitulo generali; cardinales, in suis titulis (1) et legati in sua provincia (2).

29 — Potestas ecclesiasticas leges condendi nunquam inveniri potest penes laicos.

30 — Leges instituuntur cum promulgantur (3). Ideo ad legem ecclesiasticam constituendam necessaria est ejusdem **promulgatio**, quæ definitur: Actus notificativus quo legislator manifestat communitati suam voluntatem obligandi.

31 — Modus promulgationis determinandus relinquitur auctoritati quæ fert legem.

32 — Modus ordinarius et sufficiens promulgationis legis pontificiæ est affixio illius, Romæ facta, ad valvas basilicæ sancti Petri et in acie campi Floræ.

33 — Ideo lex generalis, per se, vim obligatoriam habet, statim ac fuerit Romæ hoc modo promulgata. Ita etiam dicendum est de cæteris Actis Curiæ Romanæ, v. g. de judiciis prolatis a Congregatione Indicis, etc.

§ II. — DE OBJECTO ET DE SUBJECTO LEGIS ECCLESIASTICÆ.

34 — Leges ecclesiasticæ **objectum** habere possunt ea omnia quæ necessaria vel utilia sunt

(1) Cap. 11, tit. *de Majoritate et obedientia* XXXIII, lib. I Decretal. — (2) Cap. 10. tit. *de Officio legati* XXX, lib. I Decretal. — (3) Can. 3. dist. IV, 1ª parte Decreti.

ut ipsa finem suum spiritualem attingere queat.

35 — Leges vero istæ sunt *dogmaticæ*, si proponant articulum fidei ab omnibus credendum; — vel *morales*, si agatur de veritatibus practicis contentis in lege divina, naturali aut positiva, nam: *vera est magistra virtutum et morum custos Ecclesia Christi* (1); — vel *disciplinares*, quando statuunt quid observandum sit in societate christiana.

36 — Leges etiam dici possunt præceptivæ, vetantes, permissivæ aut pœnales. Aliquando etiam leges vetantes dicuntur irritantes.

37 — Fons primarius legum ecclesiasticarum est ipse Deus, auctor Ecclesiæ. Fons proximus est auctoritas Papæ et episcoporum.

38 — Remoti fontes legum ecclesiasticarum sunt: Scriptura sacra, traditiones ecclesiasticæ, decreta conciliorum etiam particularium, scripta sanctorum Patrum, et demum jus civile, de quo dictum est: « Causa ecclesiastica debet decidi per jus civile, in defectum canonum (2) ».

39 — Sicut et aliæ leges, lex ecclesiastica præcipere non potest actus impossibiles, etiam moraliter. — Unde axioma: Lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. — Neque etiam sese referre po-

(1) Leo XIII, Encyclica *Immortale Dei*, 1 nov. 1885. —(2) *Abbas*, in cap. 1 tit. XXXII lib. V. Decretal. — In defectu legis ecclesiasticæ recurrendum est ad legem civilem. « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, » Ita Lucius III. cap. 1 tit. *de Novi operis nunciatione* XXXII, lib. V. Decretal.

test, nisi indirecte, ad actus mere internos et ad actus præteritos.

40 — Obligantur ad legem observandam, omnes et soli **subditi**, ratione utentes et in territorio hujusce societatis manentes, cum « extra territorium jus dicenti non pareatur impune » (1).

41 — Quando agitur de legibus directis ad societatem generalem, id est ad Ecclesiam catholicam, cum aggregatio membrorum ipsius fiat per baptismum, — legibus ecclesiasticis generalibus subjiciuntur omnes baptizati, non autem infideles.

42 — « Si quis dixerit baptizatos per baptismum « ipsum, solius tantum fidei debitores fieri, non au- « tem universæ legis Christi servandæ, anathema « sit. — Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab « omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scrip- « ta vel tradita sunt, ita ut ea observare non te- « neantur, nisi se sua sponte illis submittere volue- « rint, anathema sit (2) ».

43 — Per nativitatem et per acquisitionem domicilii aut quasi-domicilii unusquisque fit membrum societatis ecclesiasticæ particularis, ut v. g. diœcesis.

44 — Domicilium definitur : Habitatio in quodam loco cum intentione ibi perpetuo manendi. — Quasi-domicilium definitur : Habitatio in quodam loco

(1) Cap. 13, tit. *de Foro competenti* II, lib. II Decretal. Cap. 2. tit. *de Constitutionibus* II, lib. I in VI. — (2) Conc. Trid. sess. VII, can. 7 et 8.

cum intentione ibi manendi per aliquod tempus, v. g. per sex menses.

45 — Per actum liberum voluntatis, scilicet per votum et professionem religiosam, quidam fideles fiunt membra societatis particularis non territorialis, v. g. ordinis religiosi.

46 — Legislator directe non tenetur ad proprias leges ; indirecte autem, quia ex lege naturali debet sese conformare moribus suorum subditorum, eisque exemplum præbere (1).

47 — Leges ecclesiasticæ non videntur obligare perpetuo amentes et pueros septennio minores.

48 — Vagi et peregrini non tenentur legibus particularibus locorum per quæ transeunt, quia non sunt subditi hujusce legislatoris ; nec etiam, probabilius, legibus suæ patriæ, quia sunt extra limites ejusdem territorii.

49 — Juridice dicuntur *vagi,* illi qui facto et animo domicilium deseruerunt, nullibi stationen figentes, huc illuc sine ullo proposito morandi, transmigrantes. *Peregrini* vero illi sunt qui iter faciunt, ea voluntate ut ad pristinum domicilium, exacta peregrinatione, revertantur.

50 — Hæretici et schismatici, per se, obstringuntur legibus Ecclesiæ universalis, maxime vero si agatur de illis legibus quæ latæ sunt ad abusus compescendos, ad ordinem publicum servandum, et

(1) Cf. can. 2. dist. IX, 1ª parte Decreti.

ad honestam conversationem tuendam in societate christiana.

51 — Generatim vero dicunt auctores Ecclesiam nolle illos obligare ad eas leges quæ directe tendunt ad sanctificationem animarum, ut v. g. leges jejunii, abstinentiæ, etc.

§ III. — DE INTERPRETATIONE LEGIS ECCLESIASTICÆ

52 — **Interpretatio** est alicujus legis obscuræ vel ambiguæ explanatio.

53 — Interpretatio est authentica, probabilis aut doctrinalis ; — generalis vel particularis ; — declarativa, correctiva, extensiva aut restrictiva.

54 — Interpretatio autem doctrinalis potest procedere vel ex usu, vel ex sententiis judicum, vel ex verbis legisperitorum. — Ideo dici potest usualis, judicialis, aut stricto sensu doctrinalis seu didascalica.

55 — Regulæ interpretationis sunt sequentes :

I. Verba clara non admittunt interpretationem (1) .

II. De similibus idem est judicium (2).

III. In omnibus causis potior esse debet ratio æquitatis quam stricti juris (3).

(1) « Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet ». Reg. juris 31ª. in VI. — (2) « Inspicimus in obscuris quod est verisimilius vel quod plerumque fieri consuevit ». Reg. juris 45ª. in VI. — (3) Juxta axioma : Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Reg. juris 88ª. in VI.

IV. Deficiente æquitate scripta, locus est æquitati non scriptæ.

V. In obscuris, minimum est sequendum (1).

VI. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis (2).

VII. Cui licet plus, licet utique quod est minus (3).

56 — Quoad quasdam leges interpretandas, admittenda sunt sequentia principia :

I. Lex nova, generaliter loquens, distinguitur secundum leges antiquas, præsertim speciales.

II. Leges exorbitantes a jure communi sunt strictæ interpretationis.

III. Leges pœnales et omnia jura odiosa sunt strictæ interpretationis (4). Idem dicendum est de privilegiis et de dispensationibus.

IV. Leges favorabiles sunt ampliori interpretatione juvandæ. — Dicuntur autem habere favorem juris, lex præexistens, publica utilitas, liberalitas principis et libertas subditorum.

§ IV. DE CESSATIONE LEGIS ECCLESIASTICÆ.

57 — Quinque sunt modi quibus **leges cessare** possunt, scilicet hoc contingere potest per cessationem finis, per irritationem, per abrogationem, per derogationem et per dispensationem.

(1) Reg. juris 30ª. in VI. — (2) Reg. juris 65ª. in VI. — (3) Reg juris 53ª. in VI. — (4) Odia restringi et favores convenit ampliari. Reg. juris 15ª. in VI.

58 — Cessat lex quando cessat ipsius finis intrinsecus et adæquatus, respectu totius communitatis.

59 — Lex dicitur irritari quando nullius valoris efficitur et rescinditur ex voluntate superioris illius qui tulit legem.

60 — Lex cessat per abrogationem quando totaliter tollitur a legislatore ipso aut ab ejusdem successore. — Si autem pars illius tantum ad nihilum redigatur, dicitur lex cessare per derogationem. Hæc etiam contingere possunt per consuetudinem.

61 — De abrogatione aut derogatione legis ecclesiasticæ statui possunt sequentia principia : Lex tollitur per legem directe contrariam ; — Lex generalis posterior non tollit legem priorem specialem, nisi id expresse dicat ; — Lex posterior non tollit priores consuetudines legitimas, nisi id expresse caveatur ; — Lex prior non tollitur nisi per expressam voluntatem, non autem per subauditam aut dubiam.

§ V. — DE DISPENSATIONIBUS ET DE PRIVILEGIIS.

62 — **Dispensatio** est juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo qui jus habet dispensandi.

63 — Dispensatio est vulnus juris, et ideo est strictæ interpretationis. Non autem ita judicandum est de jure dispensandi.

64 — Ille solus potest dispensare qui legem tulit, vel superior ipsius vel delegatus ab iisdem.

65 — Summus Pontifex dispensare non potest in iis quæ sunt juris divini naturalis aut positivi ; sed ipse potest istud jus interpretari et illius limites declarare.

66 — Juxta principium supra enuntiatum, episcopus dispensare nequit super legibus generalibus Ecclesiæ (1). — Hoc tamen facere potest, — quando facultas illi conceditur a jure ; — in casu magnæ necessitatis ; — vi consuetudinis legitimæ ; — et in rebus parvi momenti. — Hæc potestas episcopalis est ordinaria, non autem personalis.

67 — Episcopus potest dispensare in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et illis etiam exceptis alias deductis ad forum contentiosum.

68 — **Privilegium** est jus vel indultum singulare et stabile in alicujus personæ vel causæ gratiam a superiore constitutum. — Juxta etymologiam est quasi privata lex.

69 — Privilegium injustum non est quando non constituit onus pro cæteris societatis membris, et quando commodum concessum alicui privato vergit non in detrimentum sed in utilitatem totius societatis, id est quando correspondet oneri speciali

(1) Cap. 15 tit. *de Temporibus ordinationum* XI, tit. I Decretal. — Clementina 2ª. tit. *de Electione* III, lib. I. et cap. un. tit. *de Religiosis domibus* VII, in Extrav. Joannis XXII.

privilegiato imposito, ratione favoris eidem concessi.

70 — Privilegia conceduntur vel a jure ipso vel a speciali rescripto Principis. Prioris generis privilegia censentur cognita a judicibus ; cætera autem præsumuntur ignorari et debent probari in judiciis (1).

71 — Privilegia sunt realia, personalia vel mixta. Realia conceduntur ratione rei, officii vel dignitatis et permanent penes successores illius cui fuerunt concessa. — Personalia conceduntur intuitu personæ, et cum eadem exspirant. — Mixta illa sunt quæ attribuuntur collegio vel personæ morali et non cessant, deficientibus membris hujusce communitatis, sed tantum eadem dissoluta.

72 — Privilegia acquiruntur concessione, communicatione, et consuetudine aut præscriptione.

73 — Privilegia acquiruntur concessione, quæ fieri potest sive in scriptis, sive ore tenus. Quoad vero forum externum, requiritur documentum authenticum ad probationem privilegii.

74 — Privilegia acquiruntur per communicationem, quando superior extendit ad alias personas sive communitates, privilegia jam concessa alicui personæ vel communitati. Ita, ex bulla Leonis X, *Dudum per nos*, 10 dec. 1519, fit communicatio privilegiorum inter religiosos mendicantes. Quæ com-

(1) Cap. 7. tit. *de Privilegiis* XXXIII, lib. V. Decretal, et cap. 7 eod. tit. VII, in VI.

municatio deinde fuit extensa ad omnes ordines religiosos.

75 — Privilegia acquiruntur etiam consuetudine, quæ vim habet legis, aut præscriptione ordinaria vel privilegiata, si lædantur jura privatorum vel ecclesiarum.

76 — Cessat privilegium personale per mortem privilegiati (1), et reale vel mixtum per cessationem officii aut per dissolutionem communitatis; non autem generatim per mortem concedentis, nisi hoc fuerit expressum in rescripto concessionis. Sed facultates omnes speciales locorum Ordinariis concessæ transeunt ad successores ordinarios (2).

77. — Cessat etiam per renuntiationem expressam, si privilegium sit unice in favorem personæ privilegiatæ (3), vel tacitam id est per non usum aut per usum contrarium (4).

78 — Cessat tandem privilegium si eodem abutatur privilegiatus, et etiam per cessationem finalis causæ aut demum per revocationem concedentis vel successoris aut superioris ejusdem.

79 — Privilegium generatim censetur odiosum. Ideo non supponitur, debet probari et strictam patitur interpretationem.

§ VI. — DE FORMA LEGUM ECCLESIASTICARUM SEU DE RESCRIPTIS

80 — **Rescripta** sunt speciales constitutiones qui-

(1) Reg. Juris 7ª in VIº. — (2) Cong. S. Officii, 24ª novembris 1897. — (3) Cap. 12 tit. *de Foro competenti* II, lib. II, et cap. 36 tit. *de Sententia excommunicationis* XXXIX, lib. V. Decretal. — (4) Cap 6, 14 et 15 tit. *de Privilegiis* XXXIII, lib. V. Decretal.

bus Pontifices scripto respondent petitionibus sibi oblatis. Pro varia negotiorum qualitate expediuntur per Bullas, per Brevia aut per simplicem scripturam. In hoc ultimo casu potius dicuntur Rescripta stricto sensu ; sed eadem principia generalia omnibus applicantur.

81 — *Bullæ* sunt Acta conscripta in forma solemniori. Scribebantur olim in membrana rudi et antiquo charactere gallico seu longobardico. Sed hunc usum sustulit Leo papa XIII ex *motu proprio*, dato die 29 decembris 1878. — Bullæ expediuntur sub sigillo plumbeo vel aliquando aureo, præferente ex una parte, imagines SS. Apostolorum, et ex altera parte, Papæ regnantis. Data apponitur juxta morem computandi Romanorum, et formula incipiens sic indicat nomen Pontificis, v. g. *Leo episcopus, servus servorum Dei.*

82 — *Brevia* conscribuntur in membranis candidis, charactere latino. Sigillantur ex annulo Piscatoris. Data apponitur juxta morem nostrum numerandi dies et menses. Formula initialis hæc est: v. g. *Leo papa XIII, ad perpetuam rei memoriam.*

83 — Rescripta sunt secundum jus, præter jus aut contra jus.

84 — Item, ex diverso eorum objecto, distinguuntur rescripta gratiæ et justitiæ. — Rescripta gratiæ sunt in forma gratiosa, commissoria aut mixta.

85 — Rescripta constant triplici parte, scilicet narrativa, dispositiva et doctrinali.

86 — Rescriptum, per se, dicit vel facit jus particulare. Per accidens autem, habere potest vim juris universalis.

87 — Rescriptum speciale prævalet legi generali seu privilegio communitati concesso (1).

88 — Sola pars dispositiva in Rescripto jus dicit.

89 — Rescriptum impetrari non potest ab excommunicato, sub pœna nullitatis (2). Ideo in Rescriptis et in Bullis papalibus, absolutio a censuris ad cautelam conceditur ad effectum tantum illius rescripti aut bullæ consequendum. Non prodest autem illa absolutio plurimis graviter delinquentibus, enuntiatis in Regula LXVI Cancellariæ Apostolicæ.

90 — Rescriptum nullum jus facit si non correspondeat saltem quoad substantialia narrationi quæ fuit rescribenti proposita (3).

91 — Si, in ea narratione, fuerit suppressa veritas, rescriptum dicitur *subreptitium;* si autem fuerit exposita falsitas, rescriptum dicitur *obreptitium.*

92 — Clausula autem quæ dicitur *motus proprii* tollit vitium subreptionis (4).

93 — Si defectus existens in precibus proveniat ex mala fide impetrantis, rescriptum nullum est, etiamsi vitium non sese referat ad substantialia,

(1) Cap. 1 tit. *de Rescriptis* III, lib. I Decretal. — (2) Cap. 1 tit. *de Rescriptis* III, lib. I in VI. — (3) Cap. 2, 3 et 20 tit. *de Rescriptis* III, lib. I Decretal. — (4) Clementina 4ª. tit. *de Præbendis* II, lib. III et cap. 23 ejusd. tit. IV, lib. III in VI.

juxta axioma : *Mendax precator careat imprecatis* (1).

94 — Rescripta sunt nulla quæ quis per fraudem de eadem re a diversis personis impetrat et obtinet (2).

95 — Rescripta sunt dubia et suspecta : 1º si in illis servatæ non fuerunt solemnitates quæ solent observari a Curia Romana ; — 2º si abrasa aut vitiata appareant in loco suspecto seu substantiali (3) ; — 3º si in illis existat gravis et manifestus error latinitatis (4) ; — 4º si non muniantur clausulis derogatoriis.

96 — Rescriptum generale præsumitur concessum in perpetuum (5). Sed tamen cessare potest morte impetrantis vel executoris, vel ipsius rescribentis, si res adhuc sit integra.

97 — Morte Pontificis concedentis censentur expirare concessiones factæ cum clausula : *usque ad beneplacitum nostrum ;* non autem concessiones quibus adjicitur clausula : *usque ad beneplacitum sanctæ Sedis,* vel *donec revocavero* (6).

98 — In rescriptis sive gratiæ sive justitiæ attendendum est ad tempus *datæ* et ad tempus *præsentationis.* Tempus datæ est dies rescripti conces-

(1) Cap. 20 tit. *de Rescriptis* III, lib. I Decretal. — (2) Cap. 16 ejusd. tit. — (3) Cap. 28 ejusd. tit. ; cap. 11 tit. *de Fide instrumentorum* XXII, lib. II et cap. 7 *de Religiosis domibus* XXXVI, lib. III Decretal. — (4) Cap. 11 tit. *de Rescriptis* III, lib. I Decretal. — (5) Juxta axioma : Decet beneficium a Principe concessum esse mansurum. Reg. Juris 16ª. in VI. — (6) Cap. 5 tit. *de Rescriptis* III, lib. I in VI.

si (1); tempus præsentationis est dies quo rescriptum judici delegato vel executori ostenditur, ad hoc ut ipse procedat.

99 — Pro rescriptis justitiæ, tempus datæ attenditur pro applicatione axiomatis: *qui prior est temdore, potior est jure* (2); tempus autem præsentationis, ut cognoscatur initium et perpetuitas jurisdictionis in judice.

100 — In rescriptis gratiæ, attenditur ad tempus datæ, si gratia sit facta (3), et ad tempus præsentationis si gratia sit facienda (4). Non censetur autem rescriptum exspirare per mortem concedentis (5), etiam ante præsentationem, nisi dilatio droveniat ex dolo vel ex negligentia impetrantis.

101 — Gratia autem censetur *facta*, si executor sit *necessarius*, id est si illi mandetur ut gratiam exequatur, cognita precum veritate. Censetur autem gratia *facienda*, si executor sit *voluntarius*, et si ejus arbitrio relictum est gratiam elargiri vel non.

CAPUT III

De legibus ecclesiasticis in specie.

102 — Leges ecclesiasticæ præsertim continentur

(1) Cap. 7 tit. *de Præbendis* IV, lib. III in VI. — (2) Reg. Juris 54 in VI. — (3) Cap. 7. tit. *de Rescriptis* III, lib. I Decretal. — (4) Cap. 14 ejusd. tit. in VI. — (5) Cap. 9 tit. *de Officio iudicis delegati* XIV, lib. I in VI.

in **Collectionibus**, quarum præcipua est *Corpus Juris Canonici*, quod constat libris sequentibus : Decretum Gratiani ; Decretales Gregorii IX ; Sextus Decretalium ; Clementinæ ; Extravagantes Joannis XXII ; Extravagantes Communes.

103 — Leges Juris Novissimi reperiuntur in Collectionibus Bullarum et Decretorum Romanorum Pontificum et imprimis inter Acta Concilii Tridentini.

104 — **Concordata** sunt : Conventiones seu pacta inter Ecclesiam et potestates civiles, quibus Ecclesia de exercitio jurium suorum aliquid remittit favore Status, eique nonnulla concedit ut, ab eo protecta, Deo suo secura possit servire libertate (1).

105 — **Consuetudo** definitur : Jus non scriptum, diuturnis populi moribus introductum, et aliquo legislatoris consensu firmatum (2).

106 — Ut consuetudo vim legis habeat, requiritur ut sit rationabilis, constans, ad normam legis inducta, communis et confirmata consensu legislatoris.

107 — Consuetudo dicitur irrationabilis quando est contra leges naturales aut divinas (3) ; quando disrumpit nervum disciplinæ ecclesiasticæ (4) ; quando dat ansam et occasionem peccati (5) ;

(1) Ita de Angelis, in suo tractatu in lib. I. Append. — (2) Cf. dist. XI et XII, in 1ª. parte Decreti. — (3) Cap. 3 et 11 tit. *de Consuetudine* IV, lib. I Decretal. — (4) Cap. 5 ejusd. tit. — (5) Cap. 10 ejusd. tit.

quando agitur de potestate ordinis (1); quando juridice vocatur corruptela (2); quando inducit gravamen ecclesiis (3).

108 — Ut consuetudo sit constans, requiritur ut dici possit *longæva* seu decennalis (4), et non interrupta. — Ad instar autem præscriptionis, a qua tamen essentialiter differt, potest esse quadragenaria, centenaria aut immemorialis, et tunc dicitur et est privilegiata.

109 — « Est de essentia consuetudinis immemorialis ut nihil contra eam auditum unquam, vel dictum aut factum fuerit (5). »

110 — Consuetudo debet esse ad normam legis, scilicet induci non potest per actus qui liberi censentur, neque per vim, neque per modum dispensationis.

111 — Requiritur etiam ut sit communis, id est ut inolescat ex moribus communitatis, non autem ex actibus privatorum.

112 — Consensus legislatoris requisitus et sufficiens potest esse expressus, tacitus vel præsumptus (6).

113 — Consuetudo triplex est : juxta legem, præter legem et contra legem.

(1) Cap. 4 ejusd. tit et cap. 2 tit. *de Temporibus ordinationum* XI, lib. I Decretal. — (2) Cap. 7 tit. *de Consuetudine* IV; cap 56 tit. *de Electione* VI, lib. I. Decretal. et cap. 1 tit *de Consuetudine* IV, lib. I. in VI. — (3) Cap. 1 tit. *de Consuetudine* IV, lib. I Decretal. — (4) Cap. 9 ejusd. tit. — (5) Benedictus XIV const. *Inter multa* 24 april. 1747. — (6) Cap. 11 tit. *de Consuetudine* IV, lib. I Decretal. et cap. 1 tit. *de Constitutionibus* II, lib. I in VI.

114 — Consuetudo juxta legem firmat legem et illius est optima interpres. — Consuetudo præter legem facit præceptos aut vetitos actus qui antea erant liberi. — Consuetudo contra legem illam abrogat aut illi derogat.

115 — Videtur quod consuetudo potest procedere contra omnes leges ecclesiasticas, etiam contra illas quæ muniuntur clausula : *quacumque consuetudine in contrarium non obstante, etiam in posterum inducenda* (1).

116 — Quando clausula generalis tollit consuetudinem, vocando illam *corruptelam*, omnis consuetudo etiam privilegiata judicatur deleta, quia sic declaratur illam esse irrationabilem.

117 — Consuetudo, utpote factum, debet probari et est difficilis probationis (2).

118 — Consuetudo cessat sive per legem contrariam, sive per consuetudinis cessationem, quæ vocatur desuetudo.

119 — A lege generali posteriori abrogantur consuetudines generales, non autem particulares, nisi de illis specialis fiat mentio.

120 — Ex clausula generali de contraria consuetudine abolenda, non censentur sublatæ consuetudines privilegiatæ, ut quadragenaria, centenaria et immemorialis.

(1) Ita de facto plures inoleverunt consuetudines contra leges Tridentinas, nonobstantibus constitutionibus Pii IV *Benedictus Deus* 26 jan. 1563, *Sicut ad sacrorum*, 19 jul. et *In Principis*, 18 febr 1564 — (2) Cf. cap. ult. tit. *de Consuetudine* IV, lib. I Decretal.

TRACTATUS PRIMUS

DE PERSONIS.

121 — Personæ vocantur in jure canonico, ad tramites Juris Romani, illi omnes qui capaces sunt juris acquirendi et possidendi. Personæ sunt physicæ vel morales.

122 — Cum Ecclesia sit societas inæqualium, inde sequitur quod in illa sunt quidam qui præesse, et alii subesse debent. Priores vocantur clerici, alteri vero laici. Est autem classis quasi intermedia, quæ componitur ex Regularibus.

LIBER PRIMUS

DE CLERICIS.

123 — Clerici sunt personæ quæ specialiter Deo et ejus cultui per Ordinem aut saltem per primam tonsuram mancipantur.

124 — In legibus pœnalibus et in iis quæ odiosa censentur, in genere sub appellatione clericorum, non comprehenduntur episcopi aliique in superiori dignitate constituti (1). Fit tamen exceptio relate ad pœnam excommunicationis latæ sententiæ.

(1) Cap. 4 tit. *de Sententia excommunicationis* XI, lib. V. in V

125 — In favorabilibus autem, nomen clerici designat omnes clericos majores et minores et etiam religiosos.

126 — Quod dicitur de privilegiis, dicendum est etiam de obligationibus generalibus clericorum, quæ non tantum illis imponuntur, sed omnibus religiosis etiam novitiis qui habitum susceperunt et monialibus quæ vivunt sub regula ab Ecclesia approbata.

TITULUS I.

DE JURIBUS CLERICORUM

CAPUT I.

De natura et divisione potestatis clericorum

127 — Potestas quæ competit clericis potest esse vel ordinis vel jurisdictionis (1).

128 — Potestas *ordinis* est : Facultas supernaturalis a Christo Domino instituta ad intrinsecam hominum sanctificationem, per sacramentales ritus operandam.

129 — Potestas *jurisdictionis* est : Facultas supernaturalis a Christo Domino instituta ad regendum

(1) Cf. S. Th. Summa theol. 2ª. 2ª. q. 39 et 3ª. parte q. 63. n. 2.

populum christianum, ut ipse finem suum supernaturalem attingat.

130 — Differunt inter se ambæ potestates, non tantum ex diverso fine, sed etiam ex modo quo acquiruntur, ex modo quo exercentur et ex modo quo amittuntur.

131 — Potestas ordinis acquiritur per ordinationem; potestas vero jurisdictionis per electionem, per nominationem aut per delegationem.

132 — Potestas ordinis non potest competere nisi personæ singulari; potestas vero jurisdictionis existere potest penes communitatem.

133 — Potestas ordinis exerceri non potest per delegationem; quod fieri potest in exercenda potestatej urisdictionis.

134 — Potestas jurisdictionis augeri vel minui potest in diversis circumstantiis; potestas vero ordinis semper immutabilis permanet.

135 — Potestas ordinis non cessat nisi per mortem naturalem; potestas autem jurisdictionis amitti potest per demissionem, per revocationem aut per destitutionem.

136 — Potestas ordinis diversa est prout sese refert ad sacramenta aut ad sacramentalia. Est ideo juris divini vel juris humani.

137 — Potestas jurisdictionis dividitur in voluntariam et contentiosam. Jurisdictio voluntaria illa est quæ exercetur in volentes, scilicet in illos qui sponte et libenter actus ejus acceptant, v. g. in collatione

beneficiorum. Contentiosa autem ea est quæ exercetur in invitos, v. g. per sententiam pœnalem.

138 — Potestas jurisdictionis voluntaria ideo sese refert ad actus potestatis administrativæ et legislativæ. Potestas autem contentiosa ad actus potestatis judiciariæ aut coërcitivæ.

139 — Potestas jurisdictionis est ordinaria vel extraordinaria ; — delegata aut originaria.

140 — Potestas ordinaria illa est quæ, prævisa a lege, adhæret alicui mandato aut magistratui ; potestas extraordinaria illa est quæ committitur ex speciali mandato ; ideo semper est delegata.

141 — Jurisdictio delegata illa est quæ exercetur vice alterius, ex commissione immediate vel mediate facta. Jurisdictio originaria illa est quæ ab aliquo possidetur vi muneris sui, quæ proprio nomine exercetur et quæ directe confertur a Deo aut ab Ecclesia.

142. — Consequentiæ practicæ istæ sunt :

1° Ille qui pollet jurisdictione ordinaria non tenetur probationes exhibere suæ jurisdictionis ; — Tenetur autem ille qui habet jurisdictionem extraordinariam.

2° In dubio, præsumptio est pro auctoritate illius qui habet potestatem ordinariam, quia ipse censetur posse id omne quod est necessarium ad bonum subditorum ; in dubio, præsumptio est contra auctoritatem illius qui habet jurisdictionem extraordinariam, quia iste non censetur habere nisi potestatem illi expresse commissam.

143 — Jurisdictio delegata est a jure aut ab homine ; — a summo Pontifice aut ab inferiori præ-

lato; — ad universitatem causarum vel ad certas causas determinatas; — fit ratione dignitatis, vel intuitu personæ; — uni vel pluribus; et pluribus, in solidum (1) vel collegialiter. — Demum datur delegatio vel pro jurisdictione, vel pro nudo ministerio exercendo.

144 — Illi omnes qui potestatem jurisdictionis ordinariam possident jure divino vel jure ecclesiastico, delegare possunt, nisi id a jure prohibeatur et nisi obstet natura causæ (1). Delegatio autem generalis fieri non potest in perpetuum, quia esset abdicatio.

145 — Delegatus potest subdelegare quando est ipse delegatus a summo Principe (2), et etiamsi causa pluribus sit commissa, quilibet delegare potest (3); vel quando est delegatus ad universalitatem causarum; vel si delegans expresse dixerit.

146 — Delegatus a Papa tamen subdelegare nequit; quando delegatio censetur facta intuitu personæ (4); — quando causa est nimis ardua; — si commissum fuerit nudum ministerium (5).

147 — Delegari possunt illi qui designantur sequentibus versibus :

Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama,
Ætas, qui subsit : committitur huic bene causa.

148 — « Major XX annis potest a quocumque da-« ri delegatus. Idem in majori XVIII, dummodo in-

(1) Cf. cap. 8. tit. *de Officio judicis delegati* XIV, lib. I in VI.

(1) Juxta axiomata: Potest quis per alium quod potest facere per seipsum; et, qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum. Reg. Juris 68ª. et 72ª in VI. — (2) Cap. 3 et 43 tit. *de Officio et potestate judicis delegati* XXIX, lib. I Decretal. — (3) Cap. 6 ejusd. tit. — (4) Cap. 12 ejusd. tit. XIV, lib. I in VI. — (5) Cap. 43 ejusd. tit. XXIX, lib. I. Decretal.

« terveniat consensus partium. Minor vero XVIII « non potest dari nisi a Pontifice (6) ».

149 — Solus Pontifex, non vero episcopi, aut alius quicumque, jurisdictionem ecclesiasticam committere potest laico, tanquam delegato, sed tantum clericis (1).

150 — In delegatis a summo Pontifice requiritur dignitas aut personatus (2), nisi contrarium expresse caveatur.

151 — Ideo designari debent in synodo diœcesana vel provinciali judices sic dicti synodales. Statutum est præterea episcopum debere eligere judices synodales, cum concursu capituli, quando concilium non celebratur et quando mori contingit aliquem ex designatis in concilio. Qui debent statim Romano Pontifici denuntiari (3).

152 — Ad judicem delegatum pertinet imprimis ut sibi præsententur litteræ commissionis authenticæ, nec sufficit notitia privata, etiam certa (4).

153 — Debet deinde delegatus has litteras Ordinario et partibus præsentare et notificare, quia « non « creditur quis delegatus, nisi delegationem pro- « bet (5). — Asserenti namque cum mandatis Prin- « cipis se venisse credendum non est, nisi hoc « scriptis probaverit (6). »

154 — Delegatus etiam a Papa debet rationabiles

. 41 ejusd. tit.

(1) Con. 23. q. VII causæ XII, 2ª. parte Decreti. — (2) Cap. 1 tit. *de Rescriptis* III, lib. I in VI. — (3) Conc. Trid. sess XXV cap. 10 de Ref. et Bened. XIV const. *Quamvis Paternæ*, 26 aug. 1741 — (4) Cap. 12 tit. *de Appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. et cap. 1 tit. *de Electione* III, lib. I Extrav. Commun. — (5) Cap. 31 *de Officio judicis delegati* XXIX, lib I Decretal. — (6) Cap. *de Electione* III, lib I Extrav. Commun.

exceptiones admittere, et in causa, juxta juris æquitatem procedere, nisi exprimatur in litteris delegationis, quod nullæ debeant exceptiones admitti. Quod, de facto, nunquam exprimitur (1).

155 — In rescriptis justitiæ delegatus tenetur, sub pœna nullitatis ad procedendum juxta modum agendi specialem, si quis sit præscriptus per expressum tenorem rescripti (2). Si autem nulla fuerit specialis forma imposita, procedere debet secundum consuetum ordinem judiciorum.

156 — Delegatus debet causam videre tempore et loco præviso, (3) nisi in mutationem consentiant partes.

157 — In causis gratiæ, delegatus debet præventive adimplere quæ in rescriptis præscripta sunt, antequam deveniat ad ipsam concessionem gratiæ, ut v. g. dispensare, absolvere etc.

158 — In causis justitiæ, delegatus debet tractare ea tantum quæ in rescripto tractanda determinantur (4) ; et si aliud peragit, hoc nullum est nisi agatur de iis quæ sunt causæ necessario connexa.

159 — Delegatus, juxta dispositionem juris, habet, eo ipso, communicatam jurisdictionem quæ necessaria est ut possit, *cum effectu*, suum munus exercere. « Explorati enim juris est ut delegatis

(1) Cap. 13. tit. *de Officio jud. delegati* XXIX, lib. I Decretal. — (2) Cap. 22 tit., *de Rescriptis* III, lib. I Decretal. — (3) Clementina I ejusd. tit. — (4) Cap. 32 tit. *de Off. judicis delegati* XXIX, lib. I Decretal.

« judicibus, quibus principale committitur, et ac-« cessorium committatur (1) ». Ideo potest procedere etiam contra tertias personas.

160 — Potest etiam vocare ad se partes collitigantes, cogere testes, imo etiam procedere contra contumaces et contra impedientes exercitium suæ jurisdictionis (2). Attendendum est tamen ad potestatem delegant's (3).

161 — Delegatus a Papa habet potestatem non tantum ferendi sententiam, sed etiam illam exequendi (4), et ad hoc jurisdictio perseverat usque ad integrum annum (5).

162 — Potest etiam judex delegatus cognoscere in prima instantia de propria jurisdictione et competentia. Si delegatio data fuerit pluribus simul seu collegialiter, et si unus ex illis impeditus sit de jure aut de facto (v. g. quia est infamis vel quia est defunctus), alii procedere queunt, nisi forte in rescripto habeatur expressum quod requiritur omnium præsentia (6). — Si autem delegatio data fuerit in solidum, ille solus rem terminare debet qui eam prior incœpit.

163 — Si dubium sit utrum delegatio data fuerit pluribus collegialiter aut in solidum, præsumitur illam datam fuisse collegialiter, si rescriptum sit jus-

(1) Cap. 21 § 2 tit. *de Officio jud. delegati* XXIX, lib. I Decretal. — (2) Cap. 1 et 5 ejusd. tit. — (3) Juxta axioma: Nemo potest juris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur. Reg. Juris 79 in VI — (4) Cap. 7 *de Officio jud. delegati* XXIX, lib. I Decretal. — (5) Cap. 26 ejusd. tit. — (6) Cap. 13 tit. *de Rescriptis* III, lib. I Decertal.

tiæ. Si autem delegatio sit meri ministerii, censetur datam fuisse in solidum.

164 — Cessat jurisdictio delegata : 1° *finito negotio,* scilicet in causa justitiæ, quando sententia fuit lata et executioni mandata (1);

165 — 2° *Morte delegati,* etiamsi res non fuisset integra, si delegatio facta fuerit personæ et non dignitati (2) ; et etiam morte unius delegati, si delegatio facta fuerit collegialiter, cum speciali mentione de necessario interventu omnium ;

166 — 3° *Morte delegantis,* aut ipsius *renuntiatione* aut *depositione,* si res adhuc sit integra, id est in causa justitiæ si partium citatio facta non fuerit (3), et nisi agatur de mera executione (4);

167 — 4° *Revocatione* facta expresse aut tacite a delegante, et delegato legitime intimata. — Subdelegatus vero revocari non potest a priore delegante, si res fuerit incœpta (5);

168 — 5° *Lapsu temporis præfixi,* quod ita intelligendum est ut sententia ferri debeat intra limites determinatos in rescripto, si qui sint, sed necesse non est ut executioni fuerit mandata (6) ;

169 — 6° *Recusatione*, quæ definitur : Judicis suspecti et jurisdictionis ejus ob justam causam sus-

(1) Cap. 9. tit. *de Off. Jud. delegati* XXIX, lib. Decretal. — (2) Cap. 14 et 42 ejusd. tit. — (3) Cap. 20 ejusd. tit. — (4) Cap. 9 ejusd. tit. XIV, in VI. — (5) Cap. 37 tit. *de Off. Jud. delegati* XXIX, lib. I Decretal. et cap. 7 ejusd. tit. XIV in VI. — (6) Cap. 4 et 24 ejusd. tit. XXIX, lib. I Decretal.

picionis, contra eum propositam, canonice allegata declinatio.

170 — Justæ autem suspicionis causæ sunt, quando delegatus est dominus unius partis vel quando eadem illi facta est familiaris, vel si causa judicanda sit in secunda instantia ab illo qui jam in prima instantia judicavit.

CAPUT II.

De hierarchia ordinis.

171 — Hierarchia ordinis definitur : Complexus personarum quæ diverso gradu ac diversa potestate inter se ordinantur ad invicem ad sanctificationem christianorum per ritus Sacramentales obtinendam.

172 — Existit in Ecclesia hierarchia ordinis divina ordinatione constituta quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris (1).

173 — Hisce gradibus divinitus institutis, Ecclesia addidit gradus ministeriales, ita ut apud Græcos computentur diaconi, subdiaconi et lectores ; apud Latinos vero, non tantum diaconi et subdiaconi, sed acolythæ, exorcistæ, lectores et ostiarii (2).

174 — Differentia inter istos gradus assumitur ex diversitate potestatis et functionum relate ad Eucharisticum sacrificium, ad cætera Sacramenta et ad Sacramentalia.

(1) Conc. Trid. sess. XXIII. can. 6.— (2) Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 2

175 — Episcopus valide et licite administrare potest sacramentalia et sacramenta infra totum territorium sibi subjectum. Est enim veluti parochus in tota sua diœcesi, et aliquando etiam tenetur hasce functiones exercere sive per se sive per alium, inconsulto aut etiam invito parocho, aut alio cui hæc specialius committuntur. Non tamen debet sese nimis immiscere in officiis cæterorum absque sufficienti ratione.

176 — Distinguuntur ordines qui dicuntur sacri vel majores et ordines minores. Ratio differentiæ desumenda videtur ex obligationibus cœlibatus observandi et officii recitandi, quæ prioribus adnectuntur, minime vero posterioribus (1).

177 — Tonsura autem clericalis non est inter ordines numeranda, sed est cæremonia venerabilis quidem, cujus receptione aliquis fit clericus, non autem sacramentum.

CAPUT III.

De hierarchia jurisdictionis.

178 — Potestas jurisdictionis quæ ordinatur ad christianos regendos, exercetur sive a cle-

(1) Inde apud Græcos subdiaconus, etiam nunc, non computatur inter ordines sacros. Apud Latinos autem iste ordo videtur inter majores adscriptus a tempore B. Urbani II. — Cf. can. 10, 11 et 12 dist. XXXIII, 1e parte Decreti et Cap. 9. *de Ætate et qualitate præficiendorum* XIV, lib. I Decrétal.

ricis singulis sive a clericorum collegiis.

SECT. I — DE JURISDICTIONIS POTESTATE IN SINGULIS CLERICIS.

179 — Ex clericis, alii potestatem jurisdictionis possident jure divino et isti sunt: Romanus Pontifex et episcopi. Alii vero jure ecclesiastico, et juxta amplitudinem hujusce potestatis, illorum jurisdictio est supra-episcopalis, quasi-episcopalis vel infra-episcopalis.

§ 1. — DE ROMANO PONTIFICE.

180 — Ex theologia novimus Romanum Pontificem esse successorem Beati Petri, et ideo esse, jure divino, vicarium Christi, caput totius Ecclesiæ, et ipsum **primatum habere**; nec non et illi in Beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse (1).

181 — Romanus Pontifex hanc potestatem detinet, quia est successor Beati Petri Apostoli in primatu super universam Ecclesiam, in quantum est episcopus Urbis Romæ; nam, « per sacram Petri sedem, Roma caput totius Orbis effecta est » (2).

182 — Romanus Pontifex non habet tantum officium inspectionis et directionis, sed plenam et su-

(1) Conc. Vaticanum, const. *Pastor Æternus* — Cf. decretum Eugenii IV in Concilio Florentino. — (2) Nicolaus III cap. 7 *de Electione* VI, lib. I in VI — cf. conc. Vaticanum, sess. IV. can. 2 — Breve Pii VI *Super Soliditate,* 28 nov. 1786.

premam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ, pertinent (1).

183 — Hæc potestas est ordinaria et immediata sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles (2).

184 — Romanus Pontifex est etiam judex supremus fidelium : in omnibus causis ecclesiasticis ad illius judicium possunt omnes recurrere. Ejus judicium a nemine est retractandum, neque cuiquam licet de ejus judicare judicio (3). — Ipse potest omnes judicare, sed a nemine potest judicari.

185 — Romanus Pontifex non tantum est caput illius societatis monarchicæ quæ est Ecclesia Catholica, sed etiam est doctor universalis, magister et custos totius doctrinæ revelatæ. Ideo, ex assistentia divina, infallibilis est, quando *ex cathedra,* id est quando omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab Ecclesia tenendam definit (4).

186 — Papa non est tantum Pontifex supremus

(1) Conc. Vaticanum, const. *Pastor Æternus.* — (2) Conc. Vaticanum, const. *Pastor Æternus* ; Eugenius IV, const. *Lætentur* prid. non. jul. 1439; Martinus V in concilio Constantiensi. — (3) Pius IV, Breve *Super Soliditate* 28 nov. 1786 ; Concilium œcumenicum Lugdunense II ; — Epistola Nicolai I ad Michaëlem imperatorem ; — Conc. Vatic. sess. IV can. 3. — (4) Conc. Vatic. const. *Pastor Æternus.*

in Ecclesia, sed est etiam patriarcha Occidentis, Metropolitanus provinciæ Romanæ et episcopus Urbis Romæ.

187 — Romanus Pontifex creatur per **electionem.** Olim designabatur a consensu cleri et populi romani. Nunc autem electores illius sunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales (1), exclusis cæteris, etiam episcopis in Concilio adunatis (2).

188 — Cardinales qui saltem in diaconatus ordine constituti non sunt, privantur voce activa ad Romanum Pontificem eligendum (3). Electores autem sunt cardinales statim ac creati fuerint, et etiam antequam insignia acceperint (4), et etiamsi sint excommunicati, suspensi vel interdicti (5).

189 — Electio Romani Pontificis fieri debet in Conclavi, juxta regulas statutas præsertim a Gregorio X in Concilio Lugdunensi (6).

190 — Expletis novemdialibus exequiis pro defuncto Pontifice, Cardinales præsentes ingrediuntur Conclave, quod remanet clausum ita ut ipsi exire neque-

(1) Const. Alexandri III cap. 6, tit. *De Electione* VI, lib. I Decretal. et cap. 3 ejusd. tit. VI, in VI. — (2) Const. Pii IX *Cum Romanis Pontificibus* 4 dec. 1869. — (3) Const. Pii IV *In Eligendis* 9 oct. 1562 et Gregorii XV *Decet Romanum Pontificem* 12 mart 1622. — (4) S. Pius V in decreto 26 jan. 1571. — (5) Clementina 2ª, tit. *De Electione* III, lib. I. — (6) Cap. 3 tit *De Electione* VI, lib. I in VI. — const. Clementis V, Clementina 2ª ejusd. tit.; Clementis VI, *Licet* 6 dec. 1351; Julii II *Cum tam divino* 14 jan. 1505; Pauli IV *Cum secundum* 16 dec. 1558; Pii IV *In eligendis* 9 oct. 1562; Gregorii XV *Æterni Patris* 15 nov. 1621 et *Decet Romanum* 12 mart. 1622; Pie IX *In hac sublimi*, 23 aug. 1871; *Licet*, 8 sept. 1874 et *Consulturi*, 10 oct. 1877.

ant usque ad peractam electionem. Absentes non exspectantur, sed advenientes, admittuntur in Conclave

191 — Electio fieri potest per inspirationem, per compromissum et per scrutinium. Compromissarius autem non potest eligere seipsum.

192 — In scrutinio, electus habere debet duas ex tribus partibus suffragiorum (1). Nemo potest sibi ipsi suum suffragium dare.

193 — Post electionem factam ad majoritatem supradictam, et post consensum ab electo præstitum, iste statim fit Romæ episcopus et ideo summi Pontificis potestate pollet.

194 — Quicumque non prohibetur a jure naturali et divino eligi potest in Romanum Pontificem. Eligendus est autem potius de gremio Ecclesiæ Romanæ, si in eo aliquis reperiatur idoneus (2).

195 — Electus debet deinde ordines vel consecrationem episcopalem recipere, si opus sit, et coronari, licet hoc illi necessarium non sit ad supremam jurisdictionem obtinendam.

196 — Præter insignia episcopalia, Romanus Pontifex utitur semper stola et pallio. Item, ubique jubet crucem ante se deferri. Utitur tiara seu triregno, non autem baculo pastorali.

197 — Romani Pontificis hæc sunt **jura** præcipua, nempe: — ferendi leges disciplinares gene-

(1) Cap. 6 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. — (2) Can. 1 dist. XXIII, 1 part. Decreti.

rales; — constituendi dies festos de præcepto (1); — indulgentias plenarias elargiendi; — ordinandi sacram Liturgiam (2); — tuendi sacros canones; — dispensandi super legibus generalibus Ecclesiæ etiam latis in concilio generali (3); — absolvendi ab omnibus peccatis, irregularitatibus et censuris; — proferendi judicium de beatificatione et de canonizatione sanctorum (4); — causas majores sibi reservandi et recipiendi quascumque appellationes; — approbandi ordines religiosos; — erigendi episcopatus et instituendi episcopos (5); — reservandi sibi beneficia (6); — concedendi exemptiones et disponendi de omnibus bonis Ecclesiæ sive sint sæcularium sive regularium (7).

198 — Hæc omnia jura illius solius sunt vel quia requirunt exercitium potestatis supremæ, vel quia

(1) Const. Urbani VIII *Universa* 13 sept. 1642. — Cf. decisiones s. cong. Rituum, 22 dec. 1622 et 23 jun. 1703, ex quibus constat episcopum non posse in sua diœcesi confirmare et obligatoria facere festa suppressa ab Urbano VIII, nec alia festa instituere de præcepto. — (2) Conc. Trid. sess. VII can. 13 et sess. XXV cap. 12. — Plurimæ constitutiones Summorum Pontificum, præsertim S. Pii V *Quod a nobis*, 9 jul. 1568; *Quo primum tempore*, 14 jul. 1570; *Ex proximo* 22 sept. 1571; — Urbani VIII, *Universa*, 13 sept. 1642 et *Cum alias*, 27 april. 1643; — litteræ Gregorii XVI ad archiep. Rhemensem . . . 1842 et Pii IX ad archiep. Vesontinum 25 aug. 1856 et ad archiep. Lugdunensem, 20 april 1863 et 17 mart. 1864. — (3) Cap. 10 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. — (4) Cap. 1 tit. *de Reliquiis et Veneratione SS*[m]. XIV, lib. III Decretal. — (5) Cap. 5 tit. *de Prœbendis* II, lib. III Extrav. comm. — Cf. Concilium Trid. sess. XXIII, can. 8; Breve Pii VI *Charitas* 13 april. 1791. — (6) Const. Clementis V *Etsi fidei* 11 aug. 1307 et Benedicti XII *Dudum nos*, 22 sept. 1336; cap. 13 tit. *de Præbendis* II, lib. III Extrav. com. — Conc. Trid. sess. XXIV cap. 9 de Ref. — (7) Const. Benedicti XIV *Cum Encyclicas*, 24 maii 1753.

Pontifex hæc negotia sibi reservavit, licet, ex natura sua, videantur episcopis competere.

199 — Potestas Romani Pontificis est suprema, nec dici potest Concilium generale illi esse superius. Certum est e contra « Romanum Pontificem habere auctoritatem super omnia concilia » (1).

200 — Omnes et singuli cujuscumque status, gradus vel conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale concilium appellantes, necnon illi quorum auxilio, consilio vel favore fuerit appellatum, subjiciuntur excommunicationi latæ sententiæ, speciali modo Romano Pontifici reservatæ (2).

201 — Universitates, collegia et capitula, quocumque nomine numcupentur, ita appellantes, subjiciuntur interdicto latæ sententiæ, Romano Pontifici speciali modo reservato (3).

202 — Negotia graviora solet tractare Pontifex in Consistorio, quod est consessus a Pontifice Romano celebratus pro publicis et majoribus Ecclesiæ negotiis expediendis.

203 — Consistorium est secretum, semi-publicum vel publicum, prout ad illud convocantur et admit-

(1) Const Leonis X *Pastor bonus* in Concilio Lateranensi V. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis* § 1 n. 4 Cf. const. Pii II *Execrabilis* 18 jan. 1459 et Julii II *Suscepti* 1 jul. 1509. — (5) Const. *Apostolicæ Sedis* § 6 n. 1.

tuntur soli cardinales, — vel episcopi Romæ degentes, — vel demum aliæ personæ, ut prælati inferiores, oratores principum et magnates Urbis.

204 — Solent fieri in consistorio : creationes Cardinalium et legatorum sive a latere sive ad certam provinciam ; — institutiones episcoporum necnon et eorum translationes ; — creatio, divisio et unio diœcesium. — Sæpe etiam alloquitur Pontifex de negotiis gravissimi momenti, quæ sic tractanda esse ipse judicat.

---

§ 2. — DE EPISCOPIS.

205 — Episcopi vocantur illi clerici qui, assumpti auctoritate Romani Pontificis, dignitatem principum obtinent et jurisdictionem principalem exercent in territorio quod dicitur diœcesis, sub auctoritate et directione Romani Pontificis (1).

206 — Episcopi sunt quadamtenus successores Apostolorum. Eorum auctoritas est ordinaria et non delegata, sed non absoluta, utpote dependens a jurisdictione Romani Pontificis.

207 — Inde sequitur episcopum posse facere in sua diœcesi id omne quod est utile et necessarium ad bonum spirituale subditorum, et quod non est contrarium legibus generalibus Ecclesiæ et præceptis pontificiis.

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, can.

208 — Ordinarie **creantur** episcopi per electionem, per confirmationem et per consecrationem.

209 — **Electio** est personæ idoneæ ad ecclesiam vacantem, canonice facta vocatio. Si autem persona idonea non sit, talis vocatio dicitur *postulatio;* quando jus vocandi existit penes quamdam personam, v. g. penes regem aut principem, appellatur *nominatio* aut *præsentatio.* Aliquando autem electio non confert jus verum illi qui vocatur, et tunc dicitur *commendatio.*

210 — Jure communi, electio episcopi facienda est a canonicis ecclesiæ cathedralis. Omnes jus eligendi habent, exceptis vel qui subdiaconi non sunt (1); vel qui suspensi sunt ab officio (2); vel qui privati sunt voce activa (3); vel qui sunt excommunicati (4) aut interdicti (5).

211 — Nullus episcopus potest sibi constituere successorem, et nemo potest eligere seipsum; ante vacationem sedis, electores nequeunt etiam tractationes incipere de electione facienda (6).

212 — Electio debet fieri cum solemnitatibus a jure præscriptis. Electores debent convocari et agere capitulariter, cum libertate et deliberatione.

213 — Electio fieri potest triplici modo, scilicet

(1) Clementina 1, tit. *de Ætate et qualitate præficiendorum* VI, lib. I, et Conc. Trid. sess. XII, cap. 4 de Ref. — (2) Cap. 8, tit, *de Consuetudine* IV, lib. I Decretal. — (3) Cap. 7 et 20, tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. — (4) Cap. 39 ejusdem tit. — (5) Cap. 16 ejusd. tit. — (6) Cap. 1, *de Concessione præbendæ non vacantis* VIII lib. III Decretal.

per scrutinium, per compromissum et per inspirationem (1). In priori casu, necessario requiritur ut concors sit in eamdem personam designandam major et sanior pars capituli eligentis (2). Ad compromissum autem requiritur consensus omnium compromittentium (3).

214 — Reprobantur in omnibus electionibus aut scrutiniis suffragia conditionalia, alternativa aut incerta. Habenda sunt veluti non adjecta et standum est votis cæterorum (4).

215 — Electo mensis datur ad deliberandum an velit dignitatem acceptare aut recusare ; quo tempore elapso, si renuntiaverit vel tacuerit, jus omne amittit ab electione quæsitum et ad aliam electionem aperitur via.

216 — Appellantes contra electionem aut postulationem tenentur exprimere in instrumento publico et litteris super appellatione confectis, omnia et singula quæ intendunt objicere in formam vel personas, coram personis authenticis, et præstito juramento quod credunt ea quæ sic exprimunt esse vera et se posse eadem probare (5).

217 — Episcopus electus nullo modo administrationem diœcesis ad quam evectus est sive per electionem capituli, sive per nominationem prin-

(1) Cap. 21 tit. *de Electione* VI, lib. I in VI. — (2) Cap. 22 tit. *de Electione*, lib. I Decretal. — (3) Cap. 12 ejusd. tit. in VI — (4) Cap. 2 ejusd tit. in VI. — (5) Cap. 4, 19 et 20 ejusd. tit. in VI.

cipis, exercere potest antequam sanctæ Sedis confirmationem obtinuerit (1).

218 — Eligi non debent, sed *postulari* pro episcopatu, illi qui detinentur impedimento quod non est juris divini aut naturalis, nec juris ecclesiastici, si de eo Pontifex non solet dispensare.

219 — Inde postulari possunt illi qui laborant legitimitate natalium, si filii naturales sunt; qui carent ordine vel ætate a jure prævisis, modo majores sint anno 27; qui jam ligantur vinculo episcopali cum alia ecclesia, licet mere titulares sint. Item religiosi ad episcopatum promoti, debent postulari a superioribus suis, et hoc vocatur postulatio minus solemnis.

220 — Postulari potest ille qui inhabilis est, non autem ille qui est indignus. Pœna contra postulantes scienter indignum, est privatio pro illa vice jure eligendi aut postulandi (2).

221 — Solus Papa potest transferre aliquem electum in episcopum et confirmatum ad aliam sedem episcopalem. Hoc fit ex Pontificis indulgentia (3).

222 — Administratio ecclesiæ suæ remanet præ manibus episcopi translati, donec ipse acceperit, ex testimonio secretarii S. Collegii Cardinalium,

(1) Cap 5 ejusd. tit. in VI; cap. 1 ejusd. tit. III, lib. I in Extrav. comm.; const. Alexandri V *Ex injuncto* 2 april. 1410; Julii II *Romani Pontificis* 28 jul. 1505; Julii III *Sanctissimus* 13 febr. 1554; Clementis XI *In supremo* 24 aug. 1709; Pii IX *Romanus Pontifex* 8 Kal. sept. 1873. — (2) Cap. 1 tit. *de Postulatione prælatorum* V, lib. I Decretal. — (3) Tit. *de Translatione episcoporum* VII, lib. I Decretal.

notitiam certam translationis suæ publicatæ in consistorio. Tunc sedes fit vacans, et administratio transit ad capitulum (1).

223 — Episcopus translatus solvitur a vinculo prioris suæ ecclesiæ eodem momento, etiamsi litteræ apostolicæ non sint expeditæ (2). Ideo debet abhinc sese abstinere ab exercitio suæ jurisdictionis, non potest percipere fructus beneficii sui nec aliis beneficia conferre (3).

224 — Assumendus est in episcopum ille qui non solum natalibus, ætate, moribus et vita, ac aliis quæ a sacris canonibus requiruntur, sit præditus, verum etiam ille qui in sacro ordine saltem sex mensium spatio sit constitutus (4).

225 — De his instructio fieri debet a legatis, a nuntiis vel ab ejusdem Ordinario (5).

226 — Scientia vero ejus constare debet ex eo quod antea doctor vel licentiatus in theologia aut in jure canonico fuerit renuntiatus in Universitate studiorum (6). Secus, super hoc debet dispensationem obtinere.

227 — Si regularis fuerit, fidem habere debet de iis quæ supra sunt enuntiata a superioribus suæ religionis (7).

(1) Const. Urbani VIII *Nobis nuper*, 20 mart. 1625. — (2) Ead. const. Urbani VIII. — (3) Bened. XIV *de Synodo*, lib. XIII, cap. 38 et 39. — (4) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 2. de Ref. — const. Leonis X *Cum piæ memoriæ* in Concilio Lateranensi V. — (5) Conc. Trid. eod. cap.; — const. Gregorii XIV, *Onus apostolicæ*, 15 maii 1591, et instructio Urbani VIII *Si processus* 1627. — (6) Conc. Trid. eod. cap. (7). Conc. Trid. eod. cap.

228 — Nemo, quacumque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures metropolitanas seu cathedrales ecclesias in titulum seu commendam recipere et simul retinere præsumat (1).

229 — **Confirmatio** quæ olim fiebat a patriarchis et a metropolitanis, nunc reservatur summo Pontifici (2). Fit in consistorio post inquisitionem factam et professionem fidei emissam, de quibus constet per cardinalem, qui relationem facere debet in consistorio, et per tres alios cardinales (3). Hoc dicitur *præconizatio*.

230 — Si quis dixerit episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit (4).

231 — Episcopus confirmatus et institutus a Romano Pontifice statim obtinet potestatem jurisdictionis (5). Sed hanc potestatem exercere non potest, etiam titulo provisorio, vel per nominationem tanquam vicarius capitularis (6), nisi postquam exhibuerit capitulo suæ cathedralis authenticas litteras de sua promotione, alioquin amittit jus nominationis suæ, et ea omnia quæ sic geruntur, nulla omnino sunt atque irrita.

(1) Conc. Trid. sess. VII, cap. 2. de Ref. — (2) Clement. 5ª tit. *de Electione* III, lib. I. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1 de Ref.; cap. 3 tit. *de Electione* III, lib. I. in Extrav. comm.; cap. 3, 5 et 13, tit. *de Præbendis* III, lib. III in Extrav. comm. et Reg. 2ª et 3ª Cancellariæ Apostolicæ. — (4) Conc. Trid. sess. XXIII, can. 8. (5) Cap. 15 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. — (6) Const. Bonifacii VIII *Injunctæ*, cap. 1 tit. *de Electione* III, in Extrav. comm.

232 — Suspensionem ipso facto et excommunicationem incurrunt canonici recipientes novum episcopum ante ostensionem bullæ nominationis suæ (1).

233 — Episcopus electus et confirmatus tenetur infra tres menses a tempore quo ipse hoc cognovit, consecrationem recipere, et sic accipit potestatem exercendi functiones ordinis episcopalis (2). Nemo potest in episcopum consecrari, nisi jam sit presbyter (3).

234 — Si promoti ad episcopatum, infra hosce tres menses munus consecrationis non susceperint, tenentur ad restitutionem fructuum, ante omnem sententiam etiam declaratoriam (4). Si infra tres alios menses fuerint adhuc negligentes, ecclesiis suis ipso jure privantur (5).

235 — Ex facto consecrationis episcopi, vacant ipso jure omnia beneficia ab illo antea possessa, nisi agatur de episcopo titulari (6).

236 — Ante consecrationem, episcopi non tantum debent emittere fidei promissionem juxta formulam Pii IV et Pii IX, verum etiam fidelitatem et obedientiam Romano Pontifici, interposito juramento solemniter promittere tenentur (7).

(1) Cap. 5 tit. *de Electione* VI, lib. I in VI ; — const. *Apostolicæ Sedis,* § V, 1. ; — const. Pii IX *Romanus Pontifex*, 8 kal. sept. 1873. — (2) Can. 2. dist. LXXV 1ª parte Decreti et conc. Chalcedonense, can. 25. — (3) Const. Bened. XIV, *In postremo*, 20 oct. 1756. — (4) Bened. XIV const. *Pastor bonus,* 13 april. 1744. — (5) Conc. Trid. sess XXIII, cap. 2. de Ref. — (6) Cap. 7 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. — (7) Cap. 4 ejusd. tit. Cfr. decretum diei 20 jan. 1877.

237 — **Consecratio** episcopi fieri debet die dominica (1), vel natalitia Apostolorum, et etiam cum dispensatione, alio die festivo.

238 — Ad validam consecrationem, sufficit unus episcopus; ad liceitatem vero tres requiruntur, nisi adsit venia Pontificis (2).

239 — Patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi debent in prima synodo provinciali quæ post eorum promotionem celebratur, palam recipere decreta Tridentina, obedientiam Pontifici Romano spondere et profiteri, publice detestare et anathematizare hæreses a canonibus et conciliis damnatas. Secus, episcopi comprovinciales debent ab eorum communione abstinere, et hac de re certiorem facere Romanum Pontificem (3).

240 — Quidam sunt episcopi, qui ordine episcopali insigniuntur et tamen carent jurisdictione, saltem ordinaria. Isti olim dicebantur *in partibus infidelium;* nunc vero nominandi sunt episcopi *titulares* vel annulares (4).

241 — Episcoporum hæc sunt **privilegia**:

Insignia illorum sunt scutum gentilitium; vestis talaris, birretum (5) et pileolus coloris violacei; galerus ornatus cordulis et sex floccis viridi coloris ; ro-

(1) Can. 1 dist. LXXV, 1ª parte Decreti. — (2) Can. 1 dist. LXIV 1ª parte Decreti ; cap. 6 et 7 tit. *de Tempor. ordinationum* XI lib. I Decretal. — (3) Conc. Trid. sess. XXV cap. 2 de Ref. et const. Gregorii XIV, *Onus apostolicæ* 15 maii 1591. — (4) Ex decreto Leonis XIII, 14 feb. 1882. — (5) Litteræ SS[mi] Leonis XIII, 8 febr. 1888.

chettum, mitra, baculus, crux pectoralis et annulus gemmatus. Sed plura ex hisce insignibus deferre non debent, modo ostensibili, nisi in propria diœcesi.

242 — Episcopo non licet extra propriam diœcesim exercere pontificalia, nisi de expressa licentia Ordinarii, etiam apud personas sibi subjectas. Secus, episcopus suspenditur ab exercitio pontificalium, et sic ordinati, ab exercitio ordinum (1).

243 — Episcopis ubique tribui debet honor qui eorum dignitati par est : ideo, in choro, in capitulo, in processionibus et in cæteris actis publicis, illis debet esse prima sedes et locùs ab ipsis electus (2).

244 — Ex jure, episcopus percipere potest *cathedraticum*, quod definitur : certa pensio singulis annis episcopo solvi consueta, in signum subjectionis et in honorem cathedræ, seu ad episcopalis officii munia obeunda (3). Exigi potest ab omnibus ecclesiis episcopo subjectis, et ab omnibus beneficiatis. Quantitas autem summæ solvendæ determinanda est ex consuetudine, servata proportione reddituum.

245 — Etiam exigere potest episcopus *subsidium charitativum*, quod definitur : quædam exactio extraordinaria propter manifestam et rationabilem causam cum charitate a subditis postulata. Hoc autem subsidium exigere non potest episcopus quando

(1) Conc. Trid. sess. VI. cap. 5 de Ref. — (2) Conc. Trid. sess. XXV cap. 6 de Ref. — (3) Cap. 16 tit. *de Officio judicis ordinarii* XXXI, lib. I Decretal.

ipse pingues habet redditus, et ejusdem quantitas debet esse moderata, nec subditis onerosa (1).

246 — Jus habet etiam episcopus ad *procurationem*, quæ est: Eorum quæ episcopis aliisque prælatis visitationem obeuntibus cum notario et decenti comitatu, sunt necessaria ad competentem victum et habitationem, ab iis quos visitant facta præstatio (2).

247 — Procuratio dari potest in natura aut in moneta, ad arbitrium præstantis et semel tantum in anno (3), nisi adsit consuetudo contraria (4) et tantum ad solvendas expensas visitationis (5).

248 — Dimidiam vero procurationem recipiunt vicarii capitulares aut vicarii generales, si visitationem faciant (6); nullam vero nuntii aut legati a latere.

249 — Inter privilegia episcoporum enumerantur sequentia: Possunt habere altare portatile et capellam in palatio suo; non comprehenduntur in sententia generali suspensionis vel interdicti, nisi hoc expresse dicatur; majores eorum causæ criminales judicari debent tantum a Romano Pontifice, et istæ causæ, extra curiam Romanam, committi non debent nisi metropolitanis aut episcopis a Papa

(1) S. Cong. Concilii 17 febr. 1663, et decretum Innocentii XI, 8 oct. 1678. — (2) Cap. 6 tit. *de Censibus* XXXIX, lib. III Decretal. et cap. 12 ejusd. tit. XX in VI — Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 3 de Ref. — (3) S. Cong. Concilii 18 sept. 1682, 16 janv. 1723 et 1 jun. 1733, — (4) Conc. Trid. sess XXIV cap. 3 de Ref. — (5) S. Cong. Concilii, 7 nov. 1685 et 5 jun. 1637. — (6) S. Cong. Concilii 23 jul. 1708.

eligendis, et ex commissione speciali, manu ipsius subsignata. Minores vero criminales causæ episcoporum in concilio provinciali debent cognosci et terminari (1).

250 — Episcopi hæc sunt **jura**:

Princeps est in sua diœcesi, et ideo potest jubere, judicare, corrigere, administrare et dispensare.

251 — Episcopus jus habet *ferendi leges*, sive intra, sive extra synodum diœcesanam. Conveniunt omnes doctores in admittendo perpetuitatem legum quæ feruntur in synodo diœcesana. Certum etiam videtur leges latas ab episcopo solo, extra synodum, post mortem ipsius perseverare.

252 — Episcopus non potest jubere aliquid quod sit contrarium legibus generalibus Ecclesiæ, neque in negotiis quæ sibi reservavit Summus Pontifex, v. g. de re liturgica.

253 — Episcopus jus habet et officium *tuendi disciplinam* ecclesiasticam, et ideo habet qualitatem ut procuret observantiam legum generalium. Illius est corrigere subditorum excessus, præsertim clericorum, et intendere prudenter et diligenter ad reformandos mores (2).

254 — Episcoporum est vigilare ut Ritus sacri semper observentur, quales inveniuntur in Romano Rituali, in Missali et in Cæremoniali descripti;

(1) Conc. Trid. sess. XIII cap. 8 et sess. XXIV cap. 5 de Ref. —
(2) Cap. 13 tit. *de Officio judicis ordinarii* tit. XXXI, lib. I Decretal.

ut nihil in hujusmodi tuta et laudabili consuetudine immutetur, neque aliis quibuscumque aliunde petitis ritibus, cæremoniis ac precationibus aditum reserari permittant (1).

255 — Episcoporum est sacram orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere (2), et vigilare ut e fidelium manibus Biblia ab hæreticis sparsa, omnesque libri pravi et tractatus venenosi tollantur (3), necnon et super ephemerides et publicationes periodicas, quæ in sua diœcesi ex typis prodeunt (4).

256 — Certum est episcopum esse *ordinarium judicem*, et in tota sua diœcesi jurisdictionem ordinariam habere, non tantum in foro interno, sed et in foro externo. Ideo, in quolibet loco suæ diœcesis non exempto, per se vel per alium potest pro tribunali sedere et causas ad forum ecclesiasticum spectantes audire (5).

257 — Videre igitur potest et judicare, saltem in prima instantia, omnes causas ad forum ecclesiasticum pertinentes, nisi Romanus Pontifex eas sibi reservaverit.

258 — Coram episcopo judicandi sunt clerici in omnibus suis causis sive civilibus sive criminalibus; laici autem in causis ecclesiasticis vel mixtis.

(1) Const. Benedicti XIV *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744. Cfr. Litteræ S. Cong. Concilii, 16 sept. 1884, quibus vetatur episcopis conferre clericis alienis honoris insignia, et suis etiam clericis non nisi raro admodum et caute. — Item cfr. decreta S. Officii, 13 jan. 1875 et 29 junii 1895, de novis devotionibus non introducendis et de prohibitione recitationis publicæ Litaniarum. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV cap. 3 de Ref. — (3) Encyclica Gregorii XVI *Inter præcipuas*, 8 maii 1844, et Pii IX *Qui pluribus*, 9 nov. 1846. —(4) Litteræ Leonis XIII. — (5) Cap. 7 tit. *de Officio judicis ordinarii* XVI, lib. I in VI.

259 — Aliquando episcopus expulsus e sua diœcesi potest in diœcesi aliena jurisdictionem exercere, licentia petita, sed etiam non obtenta, ab Ordinario loci, præsertim contra suos expulsores, contra consiliarios et fautores eorum (1).

260 — In omnibus casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis, suos subditos delinquentes episcopus potest absolvere in foro conscientiæ per se aut per vicarium ad id specialiter deputandum. Absolvere autem ab hæresis crimine, in eodem foro, ei tantum et non ejus vicariis est permissum (2). Hæc etiam potestas non valet pro censuris speciali modo reservatis prout enuntiantur in constitutione Pii IX *Apostolicæ Sedis,* ut ibidem expresse dicitur.

261 — Episcopus potest etiam sibi reservare quosdam casus, de quibus absolvere non poterunt pœnitentiarius vel parochi absque speciali mandato. Hæc reservatio tamen non est nimis extendenda, alioquin fieret non tantum inutilis sed etiam nociva.

262 — Episcopus habet *potestatem coercitivam,* et illius est procedere contra delinquentes, pœnis sive spiritualibus sive temporalibus. Oblivisci tamen non debet quod, si est judex, est etiam et pater et ab eo « cum misericordia judicium et cum lenitate severitas est adhibenda » (3).

263 — Ecclesiarum prælati ad corrigendum sub-

(1) Clementina unica, tit. *de Foro competenti* II, lib. II — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 6 de Ref. — (3) Conc. Trid. sess. XIII cap. 1 de Ref. — Cap. I tit. *de Officio jud. ordinarii* XXXI, lib. I Decretal.

ditorum excessus, prudenter et diligenter intendere debent. Illorum actio exerceri debet non tantum erga simplices fideles et clericos sæculares, sed etiam erga regulares extra monasterium degentes (1).

264 — Sententia lata ab episcopo debet observari a fidelibus, qui debent etiam curare ut eadem a cæteris observetur. Archiepiscopus, ad quem appellatur, in causa excommunicationis, debet prius remittere conquerentem ad proprium episcopum ut absolvatur; episcopo autem renitente, archiepiscopus absolvere poterit, si sententia ei injusta videatur (2).

265 — In causis visitationis et correctionis, habilitatis aut inhabilitatis, a sententia episcopi interlocutoria vel ab alio quocumque gravamine appellari non potest (3) et nulla exceptio juridica valet in hisce causis (4).

266 — Episcopus dispensare valet super omnibus legibus latis sive a seipso sive a suis prædecessoribus, vel extra synodum vel in synodo. Generatim vero dispensare nequit super legibus generalibus Ecclesiæ (5).

267 — Aliquando tamen hoc facere potest: ex jure id permittente; ex legitima consuetudine; ex delegatione Pontificis expressa vel præsumpta; in

(1) Conc. Trid. sess. VI cap. 3 de Ref. — cap. 7 tit. *de Officio jud. ordinarii* XXXI, lib. I Decretal. — (2) Cap. 8 ejusd. tit. XXXI. — (3) Conc. Trid. sess. XIII cap. I de Ref. — (4) Conc. Trid. sess. XIV cap. 4 de Ref. — (5) Cap. un. tit. *de Religiosis domibus* VII, inter Extrav. Joann. XXII. — Breve Pii VI ad archiep. Coloniensem, 20 jan. 1787.

rebus minimi momenti, et in casu necessitatis (1).

268 — Super irregularitatibus, episcopus dispensare potest in casibus a jure prævisis, et etiam super illis quæ proveniunt ex delicto occulto, excepta tamen illa quæ provenit ex homicidio voluntario.

269 — Potest etiam episcopus irritare vota quæ præjudicant administrationi suæ diœcesis. Etiam potest dispensare in votis, illis exceptis quæ sunt in commodum tertii, vel quæ Romano Pontifici sunt reservata, quæ sunt vota castitatis perpetuæ, ingressus in religionem, peregrinationis ad sepulcrum Christi, ad limina Apostolorum et ad S. Jacobum Compostellanum. Ista autem vota debent stricte interpretari. Hac autem potestate uti non debet episcopus nisi ex gravi et legitima causa.

270 — Episcopus pollet etiam *potestate administrativa* in sua diœcesi. Ideo regit et gubernat ecclesiam suam in omnibus quæ spiritualia sunt vel spiritualibus adnexa, exceptis illis quæ ab ejus jurisdictione eximuntur, sive ex jure communi, sive ex decreto pontificiæ potestatis. Quæ ultimæ restrictiones non præsumuntur, sed debent probari.

271 — Illius est beneficia erigere, supprimere et conferre, eligere adscribendos clericatui, vigilare in bona ecclesiarum et locorum piorum, curare executionem piarum voluntatum, corrigere abusus irrepentes circa imagines et reliquias sanctorum, circa administrationem sacramentorum et sacramentalium, circa missarum celebrationem et decentiam ecclesiarum et oratoriorum.

(1) Ex decreto S. Officii, 5 déc. 1894, episcopis facta est facultas anticipandi et etiam dispensandi super jejunio vel abstinentia ratione festi extraordinarie celebrandi cum magno concursu populi, et etiam diebus nundinarum.

272 — In administratione sacramentorum concurrit episcopus cum omnibus parochis et rectoribus ecclesiarum non exemptarum; cum tota diœcesis sit ipsius parochia, et ipse erga omnes diœcesanos jus habeat parochi.

273 — Episcopus debet per se, vel, si impeditus fuerit, per alios idoneos, prædicare verbum Dei (1). Ideo illius est constituere prædicatores in ecclesiis suæ diœcesis; ipse potest prædicare in quacumque ecclesia suæ diœcesis, etiam regularium (2), et regulares extra ecclesiam sui ordinis nequeunt prædicare absque sua licentia, saltem præsumpta (3).

274 — Illius est etiam dirigere instructionem puerorum seu catechumenorum, et in hodierno rerum statu, illius est redigere catechismum seu formulam doctrinæ christianæ.

275 — Episcopus potest transferre beneficia simplicia ab ecclesia vetustate collapsa ad aliam ejusdem loci aut ex vicinioribus. Parochiales vero ecclesias ita collapsas instaurari procuret ex fructibus et proventibus earumdem, vel cogendo patronos aut parochianos. Quod si nimia egestate omnes laborent, transferatur titulus parochiæ ad ecclesiam matricem aut viciniorem (4).

276 — Episcopus facere potest uniones perpetuas ecclesiarum etiam parochialium et aliorum be-

(1) Conc. Trid. sess. V cap. 2 de Ref. — (2) Cf. Benedictus XIV *de Synodo*, lib. IX cap. 7, n. 17. — (3) Conc. Trid. sess. V cap. 2 et sess. XXIV cap. 4 de Ref. — (4) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 7 de Ref.

neficiorum propter similem paupertatem et in cæteris casibus a jure permissis (1).

277 — Episcopus potest constituere novas parœcias, etiam invitis rectoribus, in locis ubi necessitas id expostulat, assignando ecclesiæ noviter erectæ partem fructuum pertinentium ad ecclesiam matricem (2).

278 — Relate ad onera missarum, facultas facta fuerat episcopis ut, in synodo diœcesana, commutare possint hasce ultimas voluntates fundatorum (3). Sed deinde interdictum est episcopis ne reducant ullo modo, etiam in synodo diœcesana, onera ulla missarum celebrandarum, imposita aut in limine fundationis; pro his reducendis aut moderandis vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur (4).

279 — Episcopus jubere potest clericis ne absentes sint sine ejus licentia. Clerici etiam nequeunt discedere a diœcesi, neque etiam dimittere beneficium, nisi consentiente episcopo. Hunc consensum autem denegare non potest episcopus, si justa sit causa, v. g. propter ingressum in religionem, et in hoc cogi potest a superiore.

280 — Illius est etiam permittere aut prohibere presbyteris alienis celebrationem missæ, et appro-

(1) Conc. Trid. sess. XXI cap. 5 et sess. XXIII cap. 13 de Ref. — (2) Conc. Trid. sess. XXI cap. 4 de Ref. et cap. 5 tit. *de Ecclesiis ædificandis* XLVIII, lib. III Decretal. Cfr. causæ *Gratianopolitana* et *Baionen*, anno 1892, coram S. Cong. Concilii. — (3) Conc. Trid. sess. XXII cap. 6 de Ref. et sess. XXV cap. 4 de Ref. — 4 Const. Innocentii XII *Nuper* 23 dec. 1697.

bare ad confessiones audiendas, illos, qui parochi non sunt, etiam regulares, nisi agatur de confessione regularium audienda ab uno ex eadem religione (1). In hoc, reservationes facere potest, sive quoad casus, sive quoad personas quarum confessiones sunt audiendæ, v. g. moniales.

281. — Episcopus corrigere et punire potest *religiosum* etiam exemptum, residentem extra monasterium (2), a fortiori si ille sit desertor, absque licentia sui superioris (3).

282. — Episcopus procedere potest, etiam per viam censuræ aut interdicti, contra regulares, si in ecclesiis suis admittant aliquid indecorum. In omnibus ecclesiis suæ diœcesis, etiam exemptis, potest eligere primam sedem, pontificalia celebrare et concionari.

283. — Religiosi nequeunt novum monasterium erigere sine licentia Diœcesani (4). Monasteria in quibus non sunt saltem sex religiosi, subduntur visitationi et jurisdictioni episcopi.

284. — Monasteria monialium immediate subjecta Romano Pontifici, in spiritualibus gubernantur ab episcopo (5). Episcopus habet potestatem in confessarios et administratores bonorum monasteriorum monialium (6).

(1) Cfr. Causa *S. Deodati*, anno 1896. — (2) Conc. Trid. sess. VI cap. 3 de Ref. — (3) Conc. Trid. sess. XXV cap. 14 de Regul. — (4) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 3 de Reg. — (5) Conc. Trid. sess. XXV cap. 9 de Regul. — (6) Const. Gregorii XV *Inscrutabili*, 5 febr. 1622.

285. — In omnibus negotiis gravioribus tenetur episcopus requirere consensum capituli cathedralis.

286. — **Officia episcoporum** hæc sunt : Obligantur ad *missam applicandam* pro fidelibus suæ diœcesis, iisdem diebus quibus tenentur parochi (1). Hæc obligatio urget statim ac adepti sunt possessionem suæ diœcesis : non imponitur autem vicariis capitularibus, sede vacante (2), nec vicariis apostolicis nisi in locis in quibus sedes episcopales jam canonice sunt erectæ (3).

287. — Episcopus tenetur ad *residentiam* in sua diœcesi, saltem ex jure ecclesiastico, nisi adsit una ex legitimis causis, quæ sic enumerantur : christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia et evidens Ecclesiæ aut reipublicæ utilitas (4). Quæ causa debet probari pro omnibus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, a Romano Pontifice per Breve, aut per litteras missivas (5).

288. — Ex causa levi et rationabili, sed non futili, episcopo permittitur ut absens sit per duos vel ad summum per tres menses, dummodo grex detrimentum non patiatur, et absentia non sit tempore Adventus vel Quadragesimæ, nec diebus Nativitatis aut Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Dni.

(1) Litteræ SS. Leonis XIII *In Suprema*, IV idus junii 1882. (2) S. Cong. Rit. 12 nov. 1831. — (3) S. Cong. de Prop. fide 5 feb. 1803 et 28 mart. 1863. — (4) Conc. Trid. sess. XXIII cap. 1 de Ref. — (5) Const. Pii IV *In suprema*, 25 nov. 1564 ; Urbani VIII, *Sancta Synodus*, 12 dec. 1634 et Benedicti XIV *Ad universæ* 3 sept. 1746.

Christi (1). Hisce diebus tenetur episcopus adesse, non tantum in diœcesi, sed in ecclesia cathedrali (2).

289 — Non licet autem episcopis conjungere hoc tempus absentiæ licitæ duorum mensium cum alia absentia etiam licita sive alterius anni proximi, sive propter aliam causam; et spatium hujus bimestris aut trimestris absentiæ coercetur infra terminos cujuscumque anni (3).

290 — Episcopus absens a sua diœcesi per sex menses amittit ipso jure quartam partem fructuum sui beneficii. Si per sex alios menses absentia duraverit, privatur alia quarta parte. Si perseveraverit culpa, metropolitanus suffraganeum, et metropolitanum antiquior provinciæ episcopus tenetur denuntiare Romano Pontifici, et delinquens sic potest puniri pœna severiori, et etiam privari regimine suæ diœcesis (4).

291 — Episcopis etiam incumbit officium *visitandi* suam diœcesim; quod, si non intra annum, saltem infra biennium absolvere debet (5).

292 — Visitatio fieri debet cum modesto apparatu, celerrime sed cum debita diligentia. Cavere

(1) Com. Trid. sess. XXIII cap. 1 de Ref. et const. Benedicti XIV *Ubi primum* 3 dec. 1740 et *Ad universæ* 3 sept. 1746. — (2) S. Cong. Concilii 15 aug. 1630 — (3) Const. Benedicti XIV *Ad universæ* 3 sept. 1746 — (4) Conc. Trid. sess. VI cap. 1 et sess. XXIII cap. 1 de Ref. — Const. Pii IV *In suprema* 23 nov. 1564. — (5) Conc. Trid. sess. XXIV cap. 3 de Ref. — Cf. can. 9 et seqq. q. 1, causa X, 2ª parte Decreti.

debent visitatores ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint, nec accipiant munus vel pecuniam, exeptis victualibus pro tempore necessariis, quæ dicuntur procuratio. (Vide art. 246.) (1).

293 — Finis visitationis est non tantum administratio sacramenti confirmationis, sed disciplinæ restitutio et recta ordinatio omnium quæ ad res et personas ecclesiasticas pertinent. Visitatio est igitur simul et personalis et realis.

294 — In visitatione, episcopi munus est: « sa« cram orthodoxamque doctrinam, expulsis hæ« resibus, inducere ; bonos mores tueri, pravos « corrigere; populum cohortationibus et admonitio« nibus ad religionem, pacem innocentiamque « accendere; cætera prout locus, tempus et occasio « feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fru« ctum constituere » (2).

295 — Etiam prælati examinare debent ornamenta sacra, bona stabilia et parochorum proventus, et curare ut fabricarum redditus in usus ecclesiæ necessarios et utiles expendantur. Patroni vero in hisce non sese immisceant (3).

296 — Regulares, curam animarum exercentes in personas quæ non sunt de eorum monasteriorum et locorum familia, subsunt immediate in iis quæ ad dictam curam animarum et sacramentorum

(1) Conc. Trid. sess. XXIV cap. 3 de Ref. — (2) Conc. Trid. eod. loco. — Const. Benedicti XIV *Ubi primum* 3 dec. 1740. — (3) Conc. Trid. eod. loco.

administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi in cujus diœcesi morantur (1).

297 — In cæteris, episcopi non est visitare religiosos exemptos; bene vero fratres et sorores piarum congregationum votorum simplicium et non exemptarum, salvis statutis et constitutionibus a sancta Sede approbatis (2).

298 — In visitanda diœcesi, episcopus agit potius tanquam pater quam ut judex. De præceptis ejus relate ad morum correctionem, appellari non potest in suspensivo, sed tantum in devolutivo (3).

299 — In iis omnibus quæ spectant ad visitationem ac morum correctionem suorum subditorum, episcopi jus et potestatem habent agendi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati.

300 — Nulla exemptio, inhibitio, appellatio aut querela etiam ad Sedem Apostolicam interposita impedire potest aut suspendere executionem eorum quæ fuerunt ab episcopo visitante mandata, decreta aut judicata (4).

301 — Demum episcopis præcipitur ut tempore præviso in Pontificali faciant *visitationem ad limina Apostolorum*, quæ tria complectitur: visitationem

(1) Conc. Trid. sess. XXV cap. 11 de Reg. — Const. Benedicti XIV *Firmandis* 6 nov. 1744 — (2) S. Cong. Episc. et Regul., febr. 1863; — Litteræ Benedicti XIV *Emanavit nuper,* 17 sept. 1749 et Breve Leonis XII, *Cum sicut,* 30 jan. 1827. — (3) Const. Bened. XIV *Ad militantis,* 18 april. 1742. — (4) Conc. Trid. sess. XXIV cap. 10 de Ref.

sepulcri Apostolorum, exhibitionem obsequii erga Romanum Pontificem, relationem status suæ ecclesiæ. Hæc eadem obligatio imponitur abbatibus aliisque prælatis habentibus monasteria seu ecclesias cum jurisdictione quasi-episcopali et territorio separato (1).

302 — Data est instructio a S. Congregatione Concilii, distincta in novem capita, quæ exprimit normam perficiendæ hujus relationis status ecclesiæ a prælato visitante limina.

303 — Auctoritas episcopi **cessare** potest non tantum per mortem, per suspensionem aut destitutionem decretam a Romano Pontifice, sed etiam per demissionem et translationem.

304 — Demissio data voluntarie ab episcopo effectum suum obtinere non potest, nisi postquam fuerit a Papa acceptata.

305 — Sex sunt causæ ex quibus episcopi possunt petere et Papa concedere solet dimittendi licentiam; sed in his agendum est cum cautela. Quæ causæ sic exprimuntur :

> Debilis, ignorans, male conscius, irregularis,
> Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit (2).

306 — Ille prælatus, qui postulavit et obtinuit licentiam onus dimittendi, si deinde discedere noluerit, ad hoc est compellendus (3).

(1) Const. Sixti V, *Romanus* 20 déc. 1585. Cfr. Instructio S. Cong. de Prop. fide super visitatione sacrorum Liminum, 1 junii 1877. — (2) Cf. cap. 10 tit. *de Renuntiatione* IX, lib. I. Decretal. — (3) Cap. 12 ejusd. tit.

307 — Auctoritas episcopi in suam diœcesim cessat etiam per translationem factam a Romano Pontifice. Translatio autem episcopi, propria sua auctoritate facta, illum privat utraque sede: prima, quia illam despexit; secunda, quia eam concupivit ex ambitione (1).

308 — Translatio non conceditur ordinarie nisi ab ecclesia minori ad ecclesiam majorem aut saltem parem, et nonnisi ex causa necessitatis aut utilitatis Ecclesiæ, quæ videri debet a Congregatione Cardinalium (2).

309 — Ex facto translationis pronuntiatæ a Romano Pontifice, dissolvitur vinculum spirituale existens inter primam ecclesiam et episcopum translatum. Hæc prima ecclesia censetur vacans, ab eo momento quo Pontifex in Consistorio translationem peragit, nec exspectari debet expeditio litterarum Apostolicarum, nec possessio adepta secundæ ecclesiæ. (Cf. art. 222)

§ 2 — DE JURISDICTIONE SUPRA-EPISCOPALI.

310 — Existunt gradus jurisdictionis intermediæ Pontificatum inter et episcopatum. Hæc jurisdictio aliquando sedibus adhæret et dicitur *realis*; aliquando existit penes personas singulares et vocatur *personalis*. Hæc jurisdictio est ordinaria, semper

(1) Cf. cap. 1 et 4 tit. *de Translatione episcopi* VII, lib. I Decretal. — (2) Cf. const. Benedicti XIV *Ad Apostolicæ servitutis*, 17 oct. 1740.

autem delegata et participatio potestati supremi Pontificis.

311 — Jurisdictio supra-episcopalis realis inveniri potest in patriarchis, exarchis, primatibus et metropolitanis seu archiepiscopis.

312 — Auctoritas **patriarcharum** majorum adnexa fuit non tantum Sedi Romanæ, sed etiam episcopatibus civitatum Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ et Hierosolymitanæ, juxta ordinem declaratum, quoad præeminentiam eorum, ab Innocentio III in concilio Lateranensi IV (1).

313 — Isti patriarchæ jus habebant consecrandi metropolitas, cogendi synodos nationales seu plenarias, recipiendi appellationes a metropolitanis et vigilandi super totam regionem sibi commissam. Nunc autem hæc jura penitus sunt deleta (2), exceptis illis quæ spectant ad patriarchatum Hierosolymitanum, nuper restitutum a Pio IX, sed cum juribus meri metropolitani (3).

314. — Apud Orientales existunt patriarchæ diversorum rituum, scilicet Armenorum, Melchitarum, Syrorum, Chaldæorum et Maronitarum, qui præsunt toti clero et fidelibus horumce rituum (4).

315 — Patriarchæ orientales eligi debent ab episcopis, exclusis omnibus cæteris laicis, clericis et sacerdotibus; electus autem non potest inthronizari

(1) Cap. 23 tit. *de Privilegiis* XXXIII, lib. V. Decretal. — (2) Cap. 3 tit. *de Electione* III, lib. I inter Extravag. comm. — (3) Const. *Nulla celebrior*, 22 jul. 1847. — (4) Cfr. Litteræ SS. Leonis XIII *Orientalium dignitas*, pridie Kal. decembris 1894.

nec jus aut jurisdictionem consequi ante confirmationem suæ electionis a Romano Pontifice. — Ita pro Armenis, ex const. Pii IX *Reversurus* 12 julii 1867, et pro Chaldæis, const. *Cum ecclesiasticæ disciplinæ* 31 aug. 1869. (1)

316 — Penes patriarchas orientales existebat jus nominandi episcopos ; sed per bullas supra dictas, præcepit Romanus Pontifex, ut patriarcha, in casu, synodum indiceret omnium episcoporum, qui congregati proponerent tres viros ecclesiasticos, ut ex istis Papa eligere possit digniorem et sic ecclesiæ vacanti providere.

317 — In Ecclesia occidentali sunt etiam patriarchæ minores, nempe Lisbonensis, Venetus et Indiarum sive Orientalium sive Occidentalium ; sed apud istos titulus est mere honorificus.

318 — Idem nunc dicendum est de *primatibus* qui olim intermedia pollebant auctoritate inter patriarchas et simplices metropolitanos. Nunc iste titulus est mere honorificus, et nulla specialis auctoritas illi adnectitur. Primates autem in concilio sedem habent post patriarchas minores.

319 — **Metropolitanus** seu **archiepiscopus** ille est episcopus qui præest ecclesiæ præcipuæ in singula provincia, in qua ipse præeminentiam obtinet.

320 — Auctoritas archiepiscoporum in eo nunc consistit quod illorum est vigilare super episco-

(1) Cf. const. Benedicti XIV *Nuper ad nos,* 16 mart. 1743.

pos, convocare singulo triennio concilium provinciale (1), et supplere negligentiæ suffraganeorum.

321 — Metropolitanorum erat olim suffraganeos consecrare : eo autem impedito, ipse poterat alteri hoc officium committere, et consecrandus tenebatur ab isto consecrationem recipere (2). Sed nunc hæc disciplina fuit immutata, ita ut designatio consecratoris pendeat a voluntate Romani Pontificis, qui sæpe sæpius hunc delectum relinquit consecrando, nisi ille sit in Urbe (3).

322 — Nullam autem jurisdictionem habent archiepiscopi in diœcesim suffraganeorum, nisi in *appellatione*, in *sacra visitatione* et in *devolutione*.

323 — Jus habent recipiendi et judicandi appellationes a tribunali episcopi suffraganei.

324 — Si appellatio ad metropolitanum fiat contra episcopum nolentem injuste matrimonium celebrare, jus illi inest istud matrimonium celebrandi.

325 — Si subditus suffraganei querelam moveat penes archiepiscopum ex injusta excommunicationis sententia lata ab episcopo proprio, archiepiscopus primo remittere debet querentem ad suum episcopum ut absolutio impertiatur. Episcopo autem renuente, archiepiscopus poterit absolvere, recepta cautione juratoria de satisfactione peragenda. Quæ nisi peragatur, renovabitur ab

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2 de Ref. — (2) Cap. 10 tit. *de Officio judicis ordinarii* XXXI, lib. I Decretal. — (3) Cf. ep. Bened. XIV *In postremo*, 20 oct. 1756.

archiepiscopo sententia excommunicationis (1).

326 — Si vero notorium esset quod mandatum episcopi indiscretum fuerat vel injustum, cui nec tenebatur subditus obedire, potest archiepiscopus declarare hunc subditum irrationabiliter fuisse anathematis mucrone percussum (2).

327 — Suffraganei negligentis poterit metropolitanus visitare diœcesim postquam ipse propriam diœcesim plene visitaverit, et causa fuerit cognita et probata in synodo provinciali (3).

328 — Illi devolvuntur causæ judiciales quas post duos annos episcopus non definivit (4), et etiam nominatio vicarii capitularis si infra octo dies capitulum suo munere non fuerit functum (5).

329 — Illi omnes qui potiuntur auctoritate supra-episcopali, fruuntur privilegio *crucis*, quæ ante eos præfertur elevata in territorio sibi commisso, nisi præsens sit Romanus Pontifex aut legatus a latere (6).

330 — Etiam insigniuntur *pallio*, quod est fascia ex lana candida cum sex crucibus nigris (7) benedicta a Romano Pontifice et deposita apud Apostolorum Principis sepulcrum, unde desumitur.

(1) Cap. 8 tit. *de Officio jud. ord.* XXXI, lib. I Decretal. — (2) Cap. 54 tit. *de Appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 3 de Ref.; cap. 5 tit. *de Censibus* XX, lib. III in VI. — (4) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 20 de Ref. — (5) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 16 de Ref. — (6) Clementina 2 tit. *de Privilegiis* VIII, lib. V. — (7) In Ecclesia græca, istæ cruces quæ olim erant rubei coloris, nunc sunt purpureæ et auro contextæ.

331 — Pallium conceditur a Romano Pontifice archiepiscopis et patriarchis recenter nominatis, qui debent illud postulare infra tres menses a die consecrationis numerandos, et professionem fidei emittere antequam illud accipiant.

332 — Ante receptionem pallii, metropolitanus non potest sese archiepiscopum nominare (1), synodum indicare, provinciam visitare, conficere chrisma, dedicare ecclesias, episcopos consecrare et clericos ordinare : uno verbo, omnes cæremonias facere, in quibus ipse pallium gestare debet et agere tanquam archiepiscopus.

333 — Non potest deinde semper pallium deferre, quod reservatur Romano Pontifici (2), sed tantum certis statisque diebus (3), neque extra suam provinciam (4).

334 — Pallium est insigne mere personale. Archiepiscopus ad novam sedem metropolitanam translatus, debet novum pallium postulare. Pallium seu pallia debent sepeliri cum eo qui illa vivus obtinuit (5).

335 — Aliquando simplices episcopi decorantur pallio, sed in meram honoris significationem, et expresse isti monentur quod sic non præjudicatur dignitati metropolitanæ. Talis concessio aliquando

(1) Cap. 3 tit. *de Auctoritate et usu pallii* VIII, lib. I Decretal. — (2) Cap. 4 ejusd. tit. — (3) Cap. 6 et 7 ejusd. tit. ; Decretum S. Cong. Rituum, 9 sept. 1883, de usu pallii in festis B. M. V. Conceptionis Immaculatæ necnon et S. Joseph. — (4) Cap. 1 et 5 ejusd.. tit. — (5) Cap. 2 ejusd. tit.

fit quibusdam sedibus, aliquando vero personaliter quibusdam episcopis.

336 — Romanus Pontifex utitur etiam jure quod habet mittendi **legatos** seu **nuntios** (1).

337 — Aliquando jus et dignitas legati adhærent alicui sedi, cujus titularis vocatur *legatus-natus*. Istius auctoritas assimilatur dignitati primatiali.

338 — Extraordinarie vero, Romanus Pontifex mittit legatos, quorum potestas determinatur a commissione illis data.

339 — Si hæc delegatio solemnior sit, vir missus a Romano Pontifice vocatur *legatus a latere* et eligitur inter S. R. Ecclesiæ cardinales.

340 — Legatus a latere amplissima pollet dignitate et auctoritate. Jurisdictionem ordinariam habet etiam in exemptos, quibusdam tamen casibus exceptis, et potest absolvere ab omnibus censuris. Jure communi, concurrit cum Ordinario loci ad provisionem omnium beneficiorum vacantium. Antecellit omnes alios legatos et nuntios, quorum jurisdictio silet, illo præsente. Statim ac Roma exierit, jus habet erigendi crucem ante se delatam, et illo degente in aliqua provincia, metropolitanus privatur jure crucis deferendæ.

(1) Cf. tit. *de Officio legati* XXX, lib. I Decretal. — **Hoc** fuit deinde decretum contra errores Marci Antonii de Dominis et Richerii sæculo XVIII, præsertim in Responsione Pii VI anno 1789 ad metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem, super Nuntiaturis Apostolicis. Cfr. Litteræ E[mi] card. Jacobini de juribus nuntiorum, 13 april. 1885.

341 — Legati potestas in provincia sua est ad modum potestatis ordinariæ. Hinc non expirat morte Pontificis (1), et ipse potest videre omnes causas ecclesiasticas suæ provinciæ, sed tantum, episcopo prius requisito, eoque negligente (2). Legati autem jurisdictio ordinaria exercetur vice Pontificis; et ideo supereminet potestati episcopali. Non potest autem legatus majores causas pertractare, ut translationes episcoporum, uniones cathedralium, etc. Potest autem statuta condere quæ vim legis habent, et sunt ideo perpetua (3).

342 — Legati, juxta morem consuetum missi a Romano Pontifice apud reges aut statuum præsides vocantur *nuntii apostolici*. Olim nominabantur apocrisiarii aut vicarii apostolici (4). Illorum missio præcipua est repræsentare Pontificem et examen instituere pro nominatione episcoporum.

343 — Cessat officium legati: 1° lapsu temporis assignati, aut finito negotio ad quod expediendum missus fuerat; 2° si retulerit causam Papæ, non potest amplius illam reassumere (5); 3° si discesserit a provincia, cum animo non redeundi (6); 4° morte legati vel revocatione ab ipso cognita (7); 5° morte Papæ legantis, si missio data fuerit cum

(1) Cap. 2 tit. *de Officio legati* XV, lib. I in VI. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 20 de Ref. — (3) Cap. ult. tit. *de Officio legati* XXX, lib. I Decretal. — (4) Cf. Responsio Pii VI ad metropol. Treviren., Moguntin., Colonien. et Salisburgen. super Nuntiaturis Apostolicis. — (5) Cap. 5 tit. *de Officio legati* XXX, lib. 1 Decretal. — (6) Cap. 10 ejusd. tit. — (7) Cf. cap. 4 *De restitutione spoliatorum* XIII, lib. II Decretal.

clausula « ad beneplacitum legantis (1) ». Secus autem, id est si simpliciter data fuerit, jurisdictio perseverat post mortem legantis, etiam quoad res non incœptas (2).

§ 4. — DE JURISDICTIONE QUASI-EPISCOPALI.

344 — Potestatem jurisdictionis similem potestati episcoporum possident abbates et vicarii apostolici.

345 — **Abbates** sunt illi religiosi qui, veluti patres, præsunt monasteriis. Ratione jurisdictionis qua fruuntur, distinguuntur abbates simplices, abbates quasi-nullius et abbates nullius.

346 — Abbates *simplices* illi sunt qui potestatem non habent nisi in monachos et in personas degentes in monasterio sibi commisso.

347 — Abbates *quasi-nullius* illi sunt qui habent extra abbatiam populum et clerum sibi subditum, in territorio sito infra limites alicujus diœcesis.

348 — Abbates *nullius* illi sunt qui habent, extra monasterium sibi subditum, territorium distinctum a quavis diœcesi, id est quorum abbatia et territorium independentia sunt et constituunt diœcesim separatam cum suo populo et suo clero.

349 — Abbates omnes regulares solemniter debent benedici infra annum a die electionis, ab episcopo in cujus diœcesi sunt, sub pœna privationis

(1) Cf. cap. 5 tit. *de Rescriptis* III, lib. I in VI. (2) — Cap. 2 tit. *de Officio legati* XV, lib. I in VI.

officii sui. Si autem iste ordinarius ter requisitus renuerit, abbas potest postulare benedictionem a quocumque antistite catholico (1).

350 — Prælati *nullius* nequeunt absque speciali concessione Pontificis convocare synodum, indicare concursum ad parochiales ecclesias, concedere litteras dimissorias clericis pro ordinatione, dare indulgentias, nec absolvere a casibus contemplatis in cap. 6 sessionis XXIV Concilii Tridentini.

351 — Prælati *quasi-nullius* nequeunt reservare sibi casus in foro conscientiæ, nec approbare confessarios pro secularibus, nec tribuere facultatem concionandi. Hæc facienda sunt ab episcopo in cujus diœcesi sunt, vel ab episcopo viciniore (2).

352 — Latiori sensu, **vicarii apostolici** nominantur viri ecclesiastici qui a Romano Pontifice mittuntur ad aliquam ecclesiam regendam, quasi episcopi. Horum auctoritas est delegata.

353 — Aliquando mittuntur in partes infidelium, ubi veræ diœceses nondum sunt constitutæ. Si decorentur titulo episcopatus et polleant amplissima potestate ordinis, vocantur stricto sensu vicarii apostolici. Si autem careant charactere episcoporum, potius dicuntur *præfecti apostolici*.

354 — Aliquando mittuntur ad ecclesiam jam

(1) Const. Benedicti XIII *Commissi*, 6 maii 1725. — (2) Cf. Benedictus XIV *de Synodo*, lib. II, cap. 11.

erectam in diœcesim, quæ tamen vidua est aliquo modo, habens scilicet episcopum qui muneri suo fungendo impar est, quia est ægrotus, absens vel suspensus. Isti vocantur potius *administratores apostolici*. Non sunt vicarii episcoporum, et ideo non habendi veluti *coadjutores* aut *auxiliares*, sed vicarii sunt et delegati Summi Pontificis.

355 — Isti omnes qui locum occupant episcoporum, generatim loquendo, possunt in territorio sibi commisso, id omne quod, auctoritate ordinaria, potest episcopus in sua dicœsi. Sed attendendum est ad delegationem ipsis datam a Romano Pontifice (1).

356 — Vicarii apostolici in eo differunt ab episcopis quod illorum potestas est extraordinaria et delegata,et ideo sunt ad nutum amovibiles. Dici nequeunt Ordinarii, et eorum nomina non sunt proferenda in canone missæ (2).

§ 5. — DE JURISDICTIONE INFRA-EPISCOPALI.

357 — In suo gravissimo munere, episcopi debuerunt semper a quibusdam adjuvari. Ideo olim constituti fuerunt *chorepiscopi* seu episcopi rurales ad regendos pagos a civitate episcopali dependentes.

358 — Chorepiscopis successerunt *archipresbyteri* et *archidiaconi*, qui episcopos juvabant in exer-

(1) Cf. cap. 42 tit. *de Electione* VI, lib. I in VI. — (2) S. Cong. de Prop. fide 13 jun. 1776 et 14 jan. 1793.

citio potestatis sive ordinis sive jurisdictionis (1).

359 — In participatione potestati jurisdictionis, archidiaconis successerunt **vicarii generales**, qui munus suum receperunt, non tanquam beneficium perpetuum, sed tanquam officium semper amovibile.

360 — Vicarius generalis est clericus qui constituitur auctoritate et nomine episcopi, ut exerceat cum generali delegatione, jurisdictionem sive voluntariam sive contentiosam in eodem territorio in quo ipse episcopus sedem habet et jus dicere solet. Si autem illi committatur tantum jurisdictio contentiosa, dicitur *officialis*.

361 — Vicarius generalis constituit unam personam cum episcopo ; ideo ab ejus sententia non potest appellari ad episcopum, sed ad metropolitanum, aut a vicario archiepiscopi ad Romanum Pontificem (2).

362 — Vicarius generalis dicitur constitutus in dignitate ; vocatur in jure brachium episcopi. Ipsius dignitas non potest assimilari beneficio, quia ipse semper manet ad nutum episcopi amovibilis.

363 — Episcopi solius est constituere et eligere vicarium generalem. Ipse potest vel nullum vicarium eligere, vel unum tantum, vel plures, dummodo faveat

(1) Cf. tit. *de Officio archidiaconi* XXIII, et *de Officio archipresbyteri* XXIV, lib. I Decretal. — (2) Cap. 3 tit. *de Appellationibus* XV, lib. II in VI.

consuetudo. Delegatio pluribus facta potest fieri sive alteri jurisdictionis voluntariæ, et alteri jurisdictionis contentiosæ, vel singulis tota in solidum (1), non autem ita ut administratio fiat collegialiter (2). Debet esse autem generalis et extensa ad totam diœcesim (3).

364 — Eligi debet in vicarium generalem clericus non minor 25 annorum, moribus integer, scientia pollens, et juxta mentem Curiæ Romanæ, insignitus laurea, aut saltem aliquo gradu in scientia juris (4).

365 — Assumi non debet laicus, nec clericus conjugatus, nec bigamus, neque parochus, neque generatim religiosus, præsertim ordinum mendicantium. Idem non potest esse simul et pœnitentiarius et vicarius generalis (5).

366 — Jurisdictio vicarii generalis dici potest simul et ordinaria et delegata.

367 — Jurisdictio commissa vicario generali debet esse generalis. Episcopus vero potest illi quasdam imponere restrictiones, qnæ exprimi debent. Etiam ipse agere potest vi mandati specialis.

368 — Vi mandati generalis, vicarius generalis potest expedire omnia negotia ordinaria, scilicet ea quæ ad jurisdictionem episcopalem ordinariam pertinent; v. g. potest exequi commissiones et lit-

(1) S. Congr. Concilii 24 mart. 1599 et 21 febr. 1614. — (2) S. Congr. Episc. et Regul. 24 sept. 1827. — (3) S. Congr. Concilii 22 dec. 1628. — (4) S. Congr. Episc. et Regul. 28 Aug. 1582 et 6 oct. 1645. — (5) S. Congr. Episc. et Regul. apud Ferraris, V° *Vicarius generalis*.

teras Apostolicas, confessiones sacramentales audire et aliis concedere facultatem eas audiendi, saltem pro casibus non reservatis; interesse matrimoniis, et alios presbyteros ad hoc delegare (1).

369 — Negotia quæ requirunt in eo mandatum speciale sunt: 1° ea quæ sunt ordinis episcopalis, etiamsi ipse vicarius esset episcopus; 2° negotia graviora, ut conferre beneficia (2), dispensare in votis, in legibus diœcesanis et in irregularitatibus, absolvere a peccatis episcopo reservatis; 3° causæ arduæ, ut v. g. unire, dividere aut erigere beneficia, visitare diœcesim, congregare synodum.

370 — Absque speciali mandato, vicarius generalis non potest applicare alicui clerico pœnas privationis a beneficio, officiis et administrationibus (3); nec videre et judicare causas matrimoniales, nec concedere litteras dimissoriales.

371 — Non censetur data facultas vicario generali agendi ea quæ requirunt speciale mandatum, quamvis in concessione generali dictum fuerit illum posse expedire ea quæ requirunt mandatum generale (4), sed requiritur formula clarior et magis explicita.

372 — Vicarius generalis potest subdelegare partem suæ urisdictionis seu alteri committere negotia

(1) Cf. Ferraris, loco citato. (2) Cap. ult. tit. *de Officio vicarii* XIII, lib. I in VI. — (3) Cap. 2 ejusd. tit. — (4) Ex cap. 4 *de Procuratoribus* XIX, lib. I in VI et ex regula juris 81 in VI.

quæ sua sunt, quia ipse est Ordinarius et delegatus ad universalitatem causarum.

373 — Vicarius generalis, absente episcopo, debet habere præcedentiam super omnes etiam dignitates et canonicos ; non autem si canonici sint parati. Si autem ipse sit canonicus, etiam honorarius, sedere debet loco proprio, juxta ordinem et in habitu canoniali (1).

374 — Auctoritas vicarii generalis patitur vicissitudines quibus obnoxia est potestas episcopi. Cessat non tantum propria ejus renuntiatione expressa vel tacita, sed etiam ex episcopi voluntate, non tamen sine rationabili causa; necnon et morte, renuntiatione, demissione aut suspensione episcopi : uno verbo, cessatione jurisdictionis in persona episcopi.

375 — Si episcopus esset censuratus, vicarius generalis posset tamen procedere in executione causæ papalis sibi commissæ, dummodo 1° censura afficiat solum episcopum et non vicarium; 2° res non sit jam amplius integra (2).

376 — Mentio specialis facienda est de illo S. R. E. Cardinali, qui in diœcesi romana vices gerit Romani Pontificis, loco ipsius exercet munera episcopalia et vocatur *cardinalis-vicarius*. Per exceptionem, iste vicarius conservat suam jurisdictionem, etiam

(1) Cf. tamen decretum S. Congr. Negotiorum ecclesiasticorum extraordinariorum, ad episcopum Tarbiensem die 14 jul. 1888. — (2) S. Congr. Episc. et Regul. 3 jul. 1610 et 8 oct. 1649.

post mortem pontificis delegantis, **usque ad electionem novi Pontificis.**

377 — **Vicarii foranei** dicebantur olim delegati ab episcopo, quorum munus erat episcopo renuntiare mores clericorum atque in eorum delicta inquirere, observantiam constitutionum et decretorum episcopalium sedulo promovere, præesse conventibus de rebus theologicis et liturgicis, et monere episcopum circa abusus irrepentes. Istud munus nunc videtur adimpletum per parochos civitatum qui vocantur, juxta diœceses, **decani, archipresbyteri,** etc.

§ 6. — DE PAROCHIS.

378 — Præcepit synodus Tridentina episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, « ut « distincto populo, in certas propriasque parochias, « unicuique suum perpetuum peculiaremque paro- « chum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo « solo licite sacramenta suscipiant (1). » Item, in iis civitatibus et locis ubi nullæ sunt parœciæ, quamprimum fieri curent.

379 — Ad hoc ut sit parochia, requiritur ideo ut sit 1° ecclesia designata ab auctoritate pontificali seu episcopali; 2° populus infra certos territorii fines circumscriptus in diœcesi; 3° rector certus et unicus qui parochus nominatur.

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 13 de Ref.

380 — **Parochi** sunt ideo clerici deputati ad curam animarum et ad ministrandum ex [illegible] t proprio nomine verbum Dei et sacrament[illegible] o diœcesanorum numero, qui ab iisdem vici[illegible] sacra recipere aliquatenus tenentur.

381 — Generatim, omnes parochi dicendi sunt inamovibiles, ex jure generali (1). Jus autem istud pati potest quasdam exceptiones, v. g. pro Gallia et Belgio, ubi sunt illi parochi qui *deservient* [illegible] seu *succursalistæ* dicuntur, quos episcopus potest ad nutum revocare et alio mittere, ita tamen ut hoc faciat haud frequenter et prudenter (2).

382 — Parochus potest esse etiam persona moralis, ut monasterium vel capitulum ; quo in casu, locus est positioni vicarii deputati, qui potest esse vel perpetuus vel temporaneus.

383 — Parochi auctoritas est juris ecclesiastici, ideo quodam sensu delegata, et dici potest ordinaria. **Officia** parochorum assimilari possunt officio potestatis paternæ, sicut et parochia est societas imperfecta, analoga familiæ.

384 — Quemadmodum patrisfamilias est filios gignere, educare, alere, corrigere, verbo et exemplo instruere, eorum matrimonia approbare, et demum, si necessarium sit, illos sepelire ; ita parochus debet parochianos suos abluere unda baptismatis, verbo

(1) Conc. Trid. passim. — (2) Responsio S. Congr. Concilii ad episcopum Leodiensem, 1 maii 1845. — Per Indultum, episcopi cogere possunt renuentes ut accipiant ecclesiarum curam. Ita rescripta ad ep. Tolosanum, Forojuliensem, Parmensem, etc.

pascere, præsto esse ut sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ illis ministrentur, tanquam testis necessarius eorum conjugiis assistere, supremas preces pro illis fundere; eorum, uno verbo, animarum curam continuam habere.

385 — Speciali modo tenetur parochus ad *verbum Dei annuntiandum* diebus dominicis et festis solemnioribus (1).

386 — Tenetur ad *residentiam*. Parochus abesse non potest a propria parochia nisi 1° licentia postulata et obtenta ab episcopo; 2° constituto idoneo vicario ab episcopo approbando et cujus merces tribuenda est a parocho (2). Licentiam abeundi ultra bimestre concedere non potest episcopus nisi ex gravi causa (3).

387 — Exigere potest episcopus ut causa absentiæ ei specialiter manifestetur. Exceptio unica est, scilicet quando est periculum in mora, et tunc etiam tenetur parochus statim monere episcopum et constituere vicarium. Alioquin parochus non potest abesse absque licentia episcopi, etiam per totam hebdomadam (4). Imo, in casu particulari, prohibere potest episcopus ne parochus discedat etiam ad paucos

(1) Conc. Trid. sess. V, cap. 2 de Ref. et sess. XXIV, cap. 4 et 7 de Ref. — Const. Innocentii XIII *Apostolici ministerii* 23 maii 1723; — Benedicti XIII *In supremo* 23 sept. 1724; — Benedicti XIV *Etsi minime* 7 febr. 1742. — (2) Const. Innocentii XIII *Apostolici* 23 maii 1723 et Benedicti XIII *In supremo*, 23 sept. 1724. — (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 1 de Ref. — Const. S. Pii V, *Cupientes* 18 jul. 1568. — (4) S. Congr. Concilii 7 oct. 1604 et . . . . 1572.

dies. Caveat autem ne hanc prohibitionem faciat absque ratione et sub pœnis nimiis.

388 — Parochus illegitime absens, præter peccatum lethale quod committit, privatur fructibus beneficii sui pro rata temporis suæ absentiæ, et deinde poterit compelli ad residentiam servandam per sequestrationem fructuum, et etiam per privationem beneficii sui (1). Quæ bona sequestrata applicari debent fabricæ ecclesiæ vel pauperibus loci, non autem ad alios usus (2). Antea autem fieri debet citatio personalis, si possibilis sit (3).

389 — Parochus compelli potest ut habitet in domo parochiali (4).

390 — Obligatur parochus ad *sacrificium missæ offerendum* pro populo suo, diebus determinatis, scilicet omnibus dominicis aliisque festis de præcepto, et illis etiam quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, non amplius celebrantur tanquam de præcepto (5).

391 — Parochus qui est præpositus duabus ecclesiis, tenetur in utraque ecclesia sive per se, sive per alium, missam pro populo applicare, nisi parochiarum unio sit plenaria et exstinctiva (6). Si autem

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 1 de Ref. — (2) S. Congr. Concilii. 8 junii 1624 — (3) S. Congr. Concilii 2 sept. 1581. — (4) S. Congr. Conc. 8 julii 1624. — (5) Const. Benedicti XIV *Cum semper* 19 aug. 1744, et Pii IX *Amantissimi Redemptoris* 3 maii 1858 ; Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 1 de Ref. ; S. Congr. Concilii, 28 mart. 1801. — (6) S. Congr. Concilii 12 mart. 1774 et 22 febr. 1862.

ipse infirmitate fuerit detentus, tenetur per alium officium suum adimplere (1).

392 — Hæc missa rejici non potest in aliam diem, sed est celebranda in ipso die festo, nisi parochi adeo pauperes inveniantur ut necessaria sit illis pinguior oblatio hisce diebus eis tributa. Sed requiritur ad hoc facultas ab episcopo facta, et tot missæ aliis diebus sunt celebrandæ (2).

393 — Huic obligationi satisfacere debet parochus per se et non per alium, nisi adsit causa canonica. In specie, determinatum est causam sufficientem non esse, applicationem missæ pro defuncto, etiam præsente cadavere (3), et improbatur hac in re quævis consuetudo (4).

394 — Hisce officiis correspondent jura : *fori pœnitentialis,* erga parœcianos suos (5), etiam extra territorium suum ; *ministrandi* baptismum et sacram Eucharistiam in Paschate et per modum viatici, et extremam-unctionem, cæteris presbyteris exclusis (6) ; *assistendi* matrimoniis et nuptiis benedicendi ; ordinarie *sepeliendi* eos qui in parœcia sua decedunt, et *conscribendi* nomina baptizatorum, nubentium et mortuorum.

(1) S. Congr. Concilii, 14 dec. 1857. — (2) Const. Innocentii XII, *Nuper* 24 april. 1699, et Benedicti XIV, *Cum semper*, 19 aug. 1744. — (3) S. Congr Concilii, 26 jan. 1771. — (4) S. Congr. Concilii, 25 sept. 1847. — (5) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 15 de Ref. — (6) Hoc est prohibitum religiosis sub pœna excommunicationis S. P. reservatæ, ex bulla *Apostolicæ Sedis*, § 2, n° 14.

395 — Ad parochum etiam spectat celebratio *sacramentalium*, ut v. g. benedictio et dispensatio cinerum, palmarum et cereorum in festo Purificationis, benedictio fontis baptismalis, benedictio mulierum post partum, celebratio missæ in Cœna Domini et Sabbato sancto, delatio SS. Sacramenti et partes primariæ in processionibus.

396 — Jus habet parochus percipiendi oblationes quæ fiunt intra fines parœciæ, nisi in ecclesia exempta et nisi pateat specialis intentio personæ offerentis. Oblationes vero recipi nequeunt nisi a fidelibus, et ab illis offerendis arcendi sunt usurarii (1), raptores (2), pauperum oppressores, sacrilegi, meretrices et alii publici et notorii peccatores.

397 — Parochus tenetur ad publicam orthodoxæ *fidei professionem*, in manibus episcopi aut vicarii generalis, infra duos menses a die adeptæ possessionis emittendam (3) juxta formulam præscriptam a Pio IV et a Pio IX, et non coram delegato (4).

398 — Ad hanc professionem fidei emittendam tenetur etiam sic dicti deservientes seu succursalistæ, et eam renovare debent quoties ad aliud beneficium transferuntur (5).

399 — **Nominari** possunt parochi sicut et cæteri beneficia possidentes sive per liberam collationem,

(1) Cap. 3 tit. *de Usuris* XIX, lib. V Decretal. — (2) Cap. 2 tit. *de Raptoribus* XVII, lib. V Decretal. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref.; Const. Pii IV, *Injunctum nobis*, 13 nov. 1564; S. Cong. Conc. 20 jan. 1877. — (4) Ita S. Cong. Ep. et Reg. 14 april 1890. — (5) S. Congr. Concilii, 15 déc. 1866.

sive per institutionem episcopi post præsentationem, electionem aut concursum.

400 — *Eligi* non potest in parochum ille qui vigesimum quintum annum non attigit (1), et ille qui, si jam non sit sacerdos, infra annum, ordinem presbyteratus suscipere nequit (2).

401 — Jussit concilium Tridentium nominationes parochorum faciendas esse per viam concursus, alioquin subreptitiæ censeri deberent (3).

402 — Examinatores, singulis annis, in synodo diœcesana, ab episcopo vel ab ejus vicario generali admodum sex proponantur, qui synodo satisfaciant et ab ea probentur. Ex illis tres eligat episcopus pro casibus singularibus (4).

403 — Ideo episcopus, habita notitia vacationis alicujus ecclesiæ, statim in ea deputare debet cum congruæ fructuum portionis assignatione, vicarium qui onera ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur (5).

404 — Publico edicto evulgetur notitia concursus et omnes moneri debent, ut, decurrente termino assignato, unusquisque ex iis qui concurrere putant, coram cancellario episcopali, probationes suarum qualitatum, suorum meritorum et munerum offerat. (6)

(1) Cap. 7 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. — (2) Cap. 14 et 22 tit. *de Electione* VI, lib. I in VI. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 18 de Ref,; const. S Pii V, *Apostolatus,* 19 aug. 1567 et *In conferendis,* 18 mart. 1567. — (4) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 18 de Ref. — (5) Litteræ Clementis XI, 10 jan. 1721, et const. Benedicti XIV, *Cum illud,* 14 dec. 1742. — (6) Const. Benedicti XIV *Cum illud.*

405 — Eveniente die concursus, a cancellario singulorum meritorum et qualitatum probationes enuntientur summatim in scriptis, tradendis episcopo vel vicario generali et singulis examinatoribus. Quæ notula debet deinde comburi aut custodiri in cancellaria sub secreto (1).

406 — Die præstituta ab episcopo, habeatur concursus juxta regulas contentas in litteris S. Congr. Concilii insertis in eadem laudata constitutione *Cum illud*, coram episcopo aut vicario ejus generali et aliis examinatoribus qui saltem tres esse debent.

407 — Assignari debent omnibus concurrentibus eædem quæstiones, iidem casus resolvendi et idem textus evangelicus, super quo sermonis aliquid præscribi debet.

408 — Quæstiones et casus dictari debent omnibus et simul.

409 — Certum et idem tempus assignari debet, infra quod concurrentes debent resolvere casus, respondere quæstionibus et conciunculam componere.

410 — Concurrentes debent claudi in eodem conclavi, ita ut nemo ingredi vel egredi queat.

411 — Omnes propria manu debent scribere tum responsa, tum sermones, et eorum operi subscribere.

412 — Responsa, lingua latina; sermo vero idiomate vernaculo, conscribi debent.

413 — Responsis et sermonibus exhibitis a con-

(1) Const. *Cum illud.*

currentibus, apponi debent non tantum nomina illorum, sed et examinatorum et Ordinarii.

414 — Examinatores deinde debent expendere singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus aliquo christianæ doctrinæ capite, excerpto vel a sanctis Patribus vel a sacro Concilio Tridentino vel a Catechismo Romano (1).

415 — Parem ni forte majorem adhibere debent solertiam examinatores in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis: morum honestatem inquirant, sicut et gravitatem, prudentiam, præstita hactenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta doctrinæ arcto fœdere socianda (2).

416 — Absoluto concursu, examinatores rejiciant per sua suffragia, inhabiles; et eos qui judicati fuerint idonei ætate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, episcopo renuntient.

417 — Ordinarius tunc eliget ex approbatis magis idoneum (3), cui possessio nullo appellationis vel inhibitionis obtentu retardetur.

418 — Episcopus non tenetur eligere doctiorem, etiamsi ille fuisset approbatus per majora suffra-

(1) Const. *Cum illud.* — (2) Const. *Cum illud.* Cf. S. C. Con[illegible] *[illegible]naten*,.. 1601 ; *Hydruntina*, 2 aug. 1067 et 19 j[illegible] *[illegible]sculana*, 15 déc. 1764 ; *Pisauren*, 21 jul. 1792 ; [illegible] april. 1848 et 22 jun. 1850 ; *Sarsinaten*, 22 jun. 18[illegible], *[illegible]acana*, 26 aug. 1854. — (3) Const. S. Pii V *In conferendis* 18 mart. 1567 ; Resp. S. C. Conc. 3 martii 1877.

gia (1), sed non potest eligere concurrentem reprobatum ab examinatoribus (2).

419 — Si unus concurrentium appellet a sententia examinatorum vel episcopi, omnia acta concursus produci debent judici appellationis, qui ad suam sententiam ferendam moveri tantum debet argumentis in iisdem actis contentis.

420 — Appellatio hæc est in devolutivo tantum et non in suspensivo (3). Fieri debet infra decem dies a die collationis beneficii, ad metropolitanum, vel si eligens fuerit metropolitanus aut exemptus, ad Ordinarium viciniorem qui aget tanquam sanctæ Sedis delegatus, vel directe ad Sedem Apostolicam.

421 — Si autem episcopus judicaverit in favorem alicujus qui minus idoneus fuerat repertus ob aliquam causam sibi notam, hac de re certiorem facere debet judicem appellationis sub lege secreti. Si vero episcopo suspecta fuerit persona istius judicis, recurrat ad Em. Cardinalem præfectum S. Congregationis Concilii.

422 — Post duas sententias conformes, causa censetur finita et locus dari non potest appellationi ulteriori.

423 — Stante etiam lege Tridentina, non applicanda est lex concursus: 1º quando redditus parœciæ sunt nimis exigui; 2º cum prævideantur rixæ

(1) S. Congr. Concilii, 21 jul 1792. — (2) S. Congr. Concilii, 23 23 aug. 1760. — (3) Const. S. Pii V, *In conferendis,* 18 mart. 1567.

aut contentiones in concursu; 3° quando post duplex tentamen nullus comparuit qui velit examen subire; 4° quando cura animarum adnexa est monasterio regularium, cujus superior præsentat episcopo virum ab eodem repertum idoneum et ab Ordinario instituendum.

424 — **Cessat** parochi jurisdictio per mortem, per renuntiationem voluntariam ab episcopo acceptatam, per suspensionem, interdictum aut revocationem ex judiciaria sententia. Ideo ex lege generali, parochi inamovibiles declarari debent.

425 — Parochos qui turpiter et scandalose vivunt, postquam præmoniti fuerint, episcopi coërceant et castigent; si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habent (1).

426 — **Vicarii parochiales** constituntur vel a parocho vel ab episcopo ut ministerium exerceant sub directione parochi. Eorum auctoritatis extensio determinatur ex commissione illis facta vel expresse vel ex consuetudine.

427 — Episcopi cogere debent rectorem vel alios ad quos pertinet ut in parochiis in quibus populus nimis numerosus est, sibi adjungant tot sacerdotes

(1) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 6 de Ref.

quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et ad cultum divinum celebrandum (1).

428 — Parochis illiteratis et impeditis, si alias honestæ vitæ sint, episcopi possunt coadjutores seu vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare vel aliter providere (2).

429 — Etiam de extensione jurisdictionis capellanorum seu eleemosynariorum hospitalium, monialium et cæterarum communitatum, judicandum est ex commissione ipsis facta ab episcopo, cujus sunt vicarii, et delegati (3).

SECT. II. — DE JURISDICTIONIS POTESTATE IN COLLEGIIS CLERICORUM.

430 — Potestas jurisdictionis exerceri potest in Ecclesia non solum a quibusdam personis seorsim sumptis, sed etiam a collegiis clericorum.

431 — Ista collegia distribui possunt in collegiis ordinis *pastoralis* seu legislativi; ordinis *senatorii* seu consultivi; ordinis *administrativi* vel judiciarii.

§ 1. — DE COLLEGIIS ORDINIS PASTORALIS SEU DE CONCILIIS.

432 — Concilium seu synodus generatim definitur: Conventus publicus prudentum virorum aucto-

(1) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 4 de Ref. — 2 Conc. Trid. sess. XXI, cap. 6 de Ref. — (3) Cf. Responsiones datæ à S. Cong. Concilii ad ep. Aturensem, 14 aug. 1863.

ritate prælati adunatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiæ utilitatem vel publicam necessitatem concernentibus.

433 — Concilia sunt *generalia* seu œcumenica aut *particularia* seu topica. Synodi sub hoc ultimo nomine designatæ sunt *nationales, provinciales* aut *diœcesanæ.*

434 — In omnibus conciliis necesse est ut omnia recte se habeant relate ad convocationem, ad celebrationem et ad confirmationem eorumdem.

435 — Romani Pontificis solius est convocare **concilium generale** seu œcumenicum, ob motiva ab ipso solo determinanda (1).

436 — Præceptive *convocandi* sunt ad concilium generale, et quidem jure divino, omnes episcopi qui in Ecclesia jurisdictionem habent, nisi sint excommunicati.

437 — Convocandi sunt episcopi nominati, etiam non consecrati, item et episcopi titulares, præsertim si sint vicarii aut administratores apostolici. Etiam, ex jure ecclesiastico, S. R. E. Cardinales episcopi, presbyteri et diaconi, abbates nullius et superiores generales ordinum religiosorum.

438 — Vocari possunt etiam, ut olim factum est, imperatores et reges, quidam presbyteri et minores

(1) Cf. dist. XV et seq. 1ª parte Decreti. — Const. Leonis X *Pastor æternus,* in qua dicitur : « solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, conciliorum indicendorum facultate potiri. »

clerici, sed isti non possunt sedere tanquam judices. Viget enim axioma: *Concilia sunt episcoporum.*

439 — Monentur etiam episcopi schismatici et cæteri hæreticorum præcipui ministri ut ipsi, concilii occasione, ad catholicam redeant unitatem.

440 — Necessario, concilii œcumenici præses esse debet Romanus Pontifex, sive per se sive per suos delegatos.

441 — Ad illum spectat primarum partium auctoritas, scilicet jus proponendi materiam deliberationum et ea omnia de quibus agendum erit in concilio, necnon et ordinem tenendum. Illius est pariter jus determinandi formam seu methodum quæ in negotiis tractandis et in judiciis ferendis debet observari. In concilio enim Romanus Pontifex nihil amittit de sua potestate monarchica et plenaria.

442 — Episcopis non est jus introducendi quæstiones seu jus quod dicunt *initiativæ*. Hac in re procedere tantum possunt indirecte et per viam postulatorum.

443 — Penes solum Romanum Pontificem est jus declarandi quæstiones sufficienter discussas, determinandi diem et horam sessionum, transferendi, suspendendi aut dissolvendi concilium.

444 — Episcopi non sunt repræsentantes populi, nec simplices consiliarii Pontificis, sed sedent in concilio tanquam veri judices et legislatores. Ideo subscribunt, nomen apponentes cum hac mentione: Ego *judicans* vel ego *definiens* subscripsi.

445 — Soli episcopi, jure divino, emittunt votum decisivum; jure autem ecclesiastico, cæteri qui convocantur ut cardinales, abbates nullius et generales ordinum. Nullum vero jus in hoc competit parochis.

446 — Imperatores et reges aliquando subscripserunt, non quidem ad definiendum, sed ad decreta confirmanda ex auctoritate politica.

447 — Episcopus absens potest mittere procuratorem; sed si iste episcopus non est, jus obtinere potest emittendi votum consultivum tantum, non autem decisivum (1). Nemo unquam duplex votum emittere valet.

448 — In celebratione concilii, modus emittendi vota, sive per capita, sive alio modo, determinandus est a concilio ipso aut a Romano Pontifice.

449 — Ut sit decretum conciliarium requiritur: 1° libertas in judiciis; 2° absentia fraudis; 3° examen quæstionis; 4° majoritas suffragiorum.

450 — Decreta conciliorum publicantur sub nomine Pontificis regnantis, cum formula adjuncta, *In concilio* aut *Sacro approbante concilio*, si Papa est præsens. Si autem sit absens, decreta publicantur nomine concilii ipsius.

451 — Conciliorum generalium singula decreta debent *approbari* et confirmari a Romano Pon-

(1) Cf. const. Pauli III *Initio*, 22 maii 1542; litteræ Pii IV, 26 aug. 1562.

tifice, alioquin vi obligatoria penitus carent (1).

452 — Hæc confirmatio fieri potest triplici modo: 1° quando Pontifex præsens adhæret actis synodalibus et cum episcopis judicat et decernit; 2° quando expresse ea decreta confirmat per actum solemnem; 3° cum eadem recipit, laudat et executioni mandari jubet et curat. Minime vero sufficiens est consensus datus a legatis præsidentibus nomine Romani Pontificis, ex generali commissione illis facta.

453 — Concilia **nationalia** seu plenaria olim convocabantur a patriarchis majoribus. Sed nunc, cum istorum jurisdictio fuerit penitus deleta, nequeunt convocari istæ synodi, nisi ex decisione Papæ, qui determinat ea omnia quæ spectant ad earum convocationem, præsidentiam et celebrationem.

454 — Concilium **provinciale** definitur: consessus episcoporum alicujus provinciæ, coactus ab eo qui habet potestatem congregandi, ad negotia ecclesiastica pertractanda, vocatis vocandis de jure aut de consuetudine (2).

455 — Concilium provinciale convocat metropolitanus, vel, eo impedito, antiquior episcopus, non

(1) Cf. const. Pii IV *Benedictus Deus*, 26 jan. 1563, et decretum Eugenii IV super unione Jacobitarum. — (2) Cf. dist. XVIII, 1ª parte Decreti. — Conc. œcumen. Lateranense IV, cap. 16; — Conc. Lateranense V, sess. 10; — Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2 de Ref.; — Const. Sixti V *Immensa* 22 jan. 1587, et Bened. XIV, *Quamvis* 16 aug. 1741, et *Singularis* 1 sept. ejusd. anni.

autem vicarius capitularis, sede metropolitana vacante (1).

456 -- Ad concilium provinciale vocandi sunt omnes episcopi suffraganei, etiam non consecrati, et abbates aut prælati nullius, proprium territorium habentes intra ambitum provinciæ; similiter et episcopi qui nullo archiepiscopo subduntur, sed qui, ad hoc, vicinum metropolitanum eligere debent (2); non autem simplices titulares (3).

457 — Convocari debent etiam vicarii capitulares, si qui sint; canonici et capitula cathedralium (4) vel collegiatarum habentium jurisdictionem quasi-episcopalem. Isti vero habent votum tantum consultivum, sicut et procuratores episcoporum absentium, qui tamen votum habere queunt decisivum si synodo placuerit (5).

458 — Jussit concilium Tridentidum ut singulo triennio habeantur concilia provincialia. Locus adunationis est a metropolitano determinandus (6).

459 — Decisionem facit majoritas suffragiorum. Concilium autem dissolvi non potest a metropolitano, nisi ex consensu suffraganeorum.

460 — Provincialia concilia haberi debent pro

(1) S. Congr. Concilii, 10 febr. 1624. — Cf. Bened. XIV *de Synodo*, lib. 11, cap. 8 n° 9. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2 de Ref. — (3) S. Congr. Concilii, 24 aug. 1850. — (4) Cf. cap. 4 tit. *de Supplenda negligentia prælatorum* X, lib. I Decretal.; S. Congr. Concilii 18 jun. 1859. — (5) Votum S. Congr. Concilii et responsum Gregorii XIII, an. 1581 apud Van Espen. — (6) Conc. Trid. sess XXIV, cap. 2 de Ref.

moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque a sacris canonibus permissis (1). Sed in eis tractari non debent negotia generalia Ecclesiæ, nec sanciri potest aliquid quod sit contra jus generale.

461 — Statuta concilii provincialis publicari nequeunt nisi fuerint expensa et recognita a Romano Pontifice, seu a S. Congregatione Concilii (2).

462 — Eadem abrogare non potest nisi alia synodus provincialis. Episcopi autem, et archiepiscopus in sua diœcesi, valent super illis dispensare.

463 — **Synodus diœcesana** est adunatio clericorum alicujus diœcesis in qua, præsidente episcopo, tractantur negotia spectantia ad utilitatem diœcesis.

464 — Synodus diœcesana *convocanda* est a Romano Pontifice vel a Cardinali-Vicario in diœcesi Romana; in cæteris autem a Romano Pontifice, si illi bonum videtur, vel ab episcopo, etiam non consecrato, sed post confirmationem et præconizationem, et exhibitis jam capitulo litteris nominationis.

465 — Nequeunt vero synodum convocare: metropolitanus, nisi in diœcesi propria et post receptionem pallii; episcopus titularis, nisi sit vicarius apostolicus; vicarius generalis, nisi ex speciali commissione; vicarius capitularis, nisi uno anno

(1) Conc. Trid. eod. loco. — Litteræ Pii IX, 17 maii 1849, 21 mart. 1853 et 17 maii 1856. — (2) Const. Sixti V, *Immensa æterni*, 22 jan. 1587; Cong. S. Officii, 10 sept. 1896.

elapso a die ultimæ synodi convocatæ; prælatus inferior, nisi vere sit *nullius*, et habeat facultatem concessam a sancta Sede.

466 — Convocari debent ad synodum diœcesanam : abbates et superiores religiosi qui non subduntur capitulis generalibus; dignitates, personatus et officia (1) necnon et canonici ecclesiæ cathedralis; parochi. Cæteri autem presbyteri et clerici cogi possunt ad assistendum synodo, si agatur de correctione morum et de re spectante ad totum clerum.

467 — Synodo diœcesanæ tenentur adesse, vicarius generalis; vicarii foranei, quocumque vocentur nomine; canonici ecclesiæ cathedralis; parochi et alii curam animarum habentes, quotquot possunt adesse (2). Canonici ecclesiarum collegiatarum convocari debent, sed cogi non possunt ad assistendum.

468 — Omnes habentes beneficia ecclesiastica qui in synodo diœcesana convenire debent, in ea synodo quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant et observent id quod statutum est pro episcopis, archiepiscopis et patriarchis in prima synodo provinciali in qua assistunt, ut habetur art. 239.

469 — Hoc ordine sedere debent, nempe, post episcopum : vicarius generalis; capitulum cathedrale; abbates; capitula collegiata; vicarii foranei; parochi; beneficiati; cæteri clerici; religiosi.

(1) Cf. tract. II de Rebus ; lib. IV, cap. 2 sect. I de beneficiis generatim. — (2) S. Congr. Concilii, 18 jun. 1856 et 16 febr. 1896, et epist. Pii IX, 5 nov. 1855.

470 — Synodi diœcesanæ quotannis *celebrentur*, juxta mandatum Concilii Tridentini (1).

471 — Satius est ut aduncetur synodus in civitate episcopali et in ecclesia cathedrali. Sed de hoc judex est episcopus.

472 — Solus episcopus judex est et legislator, in synodo diœcesana. Cæteri autem clerici sedent tanquam consilium præbentes, sed nullo modo participes sunt potestatis legislativæ (2).

473 — Ea negotia quæ objectum esse non debent concilii provincialis, tractari nequeunt in synodo diœcesana. A fortiori, agitari non debent quæstiones generales nondum definitæ de fide et de principiis morum, et nihil sanciri debet contra leges communes Ecclesiæ universalis.

474 — Initio synodi eligi debent judices *excusationum et querelarum*, quorum munus est recipere excusationes absentium, componere lites inter præsentes et licentiam dare illis qui discedere postulant ante conclusionem synodi.

475 — Designari debent in singulis conciliis provincialibus aut diœcesanis *judices synodales*, scilicet quatuor saltem personæ probatæ, quibus committi possit delegatio ad judicium proferendum, a quolibet legato aut nuntio, aut etiam ab Apostolica Sede. Si

(1) Conc. Trid. sess. XXIV. cap. 2 de Ref. — Const. Alexandri VII *Inter Cætera*, 26 maii 1656. — Cf. cap. 25 tit. *de Accusationibus* I, lib. V Decretal. — (2) Cf. Bulla Pii VI *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794, prop. IX et X. — S. Congr. Concilii . . . . 1581 et 16 jul. 1627.

ex illis unus mori contingat, alium substituat Ordinarius, cum consensu capituli, usque ad alteram synodum (1).

476 — Personæ istæ debent eligi inter obtinentes dignitates vel personatus, aut inter cathedralis ecclesiæ canonicos (2).

477 — Eligi debent etiam *testes synodales* qui, post conclusionem synodi, testari debent de præscriptionibus in illa statutis, et de earum executione curare. — De examinatoribus synodalibus, vide art. 402.

478 — Leges publicatæ ab episcopo in synodo censentur sufficienter promulgatæ, præsertim si unice dirigantur ad clerum.

479 — Licet statim vim obligatoriam habeant post istam promulgationem, tamen debent videri et approbari a Curia Romana per S. Congregationem Concilii. Hæc autem approbatio non mutat illarum naturam : remanent leges diœcesanæ et particulares, non autem generales efficiuntur.

480 — Leges promulgatæ in synodo sunt perpetuæ; eas tamen potest episcopus, etiam extra synodum, mutare et abrogare et super illis dispensare.

§ 2. — DE COLLEGIIS ORDINIS SENATORII.

481 — Ista sunt : sacrum collegium S. Romanæ Ecclesiæ cardinalium et capitula canonicorum.

(1) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 10 de Ref. — (2) Cap. 11 tit. *de Rescriptis* III, lib. I in VI.

482 — Sanctæ Romanæ Ecclesiæ **Cardinales** sunt clerici constituentes senatum Romani Pontificis, cujus sunt eminentes consiliarii et adjutores in administranda Ecclesia universali.

Triplex est ordo Cardinalium: episcoporum, presbyterorum et diaconorum.

483 — Septem sunt sedes episcopales, dictæ *suburbicariæ,* quorum titulares, eo ipso, primo ordine sedent in sacro collegio et sunt: Ostiensis, Portuensis, Albanensis, Prænestina, Sabinensis, Tusculana et Sanctæ-Rufinæ. Sed nunc hæc ultima sedes unita est sedi Portuensi, et ideo sex sunt cardinales-episcopi. Episcopus Ostiensis est simul decanus sacri Collegii; episcopus vero Portuensis et Sanctæ-Rufinæ, vice-decanus.

484 — Nunc quinquaginta esse possunt cardinales-presbyteri, sed sunt in urbe Roma quinquaginta et tres ecclesiæ, quæ vocantur *tituli presbyterales.*

485 — Octodecim sunt *diaconiæ,* sed nunc esse possunt tantum quatuordecim cardinales-diaconi, ut compleatur numerus septuaginta Patrum Eminentissimorum, quem numerum statuit Sixtus V (1).

486 — Cardinales creantur a solo Romano Pontifice, qui illos eligit prout vult inter clericos sive sæculares sive regulares. Ea tamen quæ de episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina et cæteris qualitatibus requiruntur, exiguntur in creatione

(1) Const. *Postquam verus,* 25 nov. 1586, et *Religiosa Sanctorum,* 13 april. 1587.

S. R. E. cardinalium, etiam diaconorum (1).

487 — Post suam nominationem, si Romæ præsens sit electus cardinalis, accedit ad Romanum Pontificem qui illi imponit birretum rubrum. Si vero absens sit, ad eum mittitur birretum, in cujus receptione jurare debet se infra unum annum ad limina Apostolorum esse accessurum. Deinde, in altero consistorio, eidem imponitur galerus ruber, os aperitur et clauditur, traditur annulus et assignatur titulus seu diaconia.

488 — Aliquando cardinalis nominatus reservatur *in pectore;* sed deinde, publicato ejus nomine, locum tenet inter collegas, a die nominationis et non a die publicationis, determinandum. Si autem Pontifex moriatur, nomine cardinalis reservati remanente occulto, nominatio fit irrita (2).

489 — *Sede plena*, cardinales constituunt senatum Papæ et eorum consilio per sanctissimum Romanum Pontificem, universalis Ecclesiæ administratio regitur. Ideo eminentes sunt super omnes clericos, et præeminentiam obtinent super omnes archiepiscopos et patriarchas, etiamsi non sint nec episcopi nec presbyteri (3).

490 — Quamdam jurisdictionem detinent in suis titulis (4), in quibus jus habent def[illegible]endi insignia

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1 de Ref. — Cf. allocutio Benedicti XIV 5 april. 1750, et Pii IX, 17 dec. 1855. — (2) Cf. allocutio Consistorialis Pii IX 15 mart. 1875. — (3) Const Leonis X *Cum sanctæ Romanæ*, in concilio Lateranensi V. — (4) Decretum diei 25 jan. 1879, de consecratione altarium in ecclesia titulari.

jurisdictionis, et in clerum eorumdem titulorum (1).

491 — *Sede vacante*, ad illos non transit pontificia jurisdictio in Ecclesiam (2). Unus tantum ex illis qui vocatur *Camerarius* exercet per interim jura Pontificis, in quantum est dominus temporalis.

492 — Illorum est tamen tueri jura Ecclesiæ; sed præcipuum eorum officium est ut quamprimum eligant Romanum Pontificem juxta regulas ad hoc statutas (3).

493 — Eorum *privilegia* hæc sunt : Simplici eorum assertioni credendum est ; in regulis Cancellariæ non comprehenduntur, nisi in quantum ipsis favent ; cæteris præcellunt et regibus æquiparantur ; in suis titulis quamdam jurisdictionem quasi-episcopalem habent, et si saltem presbyteri sint, conferre possunt ordines minores, et consecrare altaria in ecclesiis suis titularibus (4).

494 — Eorum *insignia* sunt : galerus, birretum et vestis coloris purpurei ; scutum gentilitium cui imponitur galerus ruber cum quindecim lemniscis ; crux pectoralis et annulus cum gemma. Vocantur Eminentissimi Principes (5).

495 — **Canonici** sunt clerici constituentes colle-

(1) Cf. const. Innocentii XII *Romanus Pontifex* 17 sept. 1692. et Eugenii IV *Non mediocri* . . . . 1438. — (2) Clementina 2, tit. *de Electione* III, lib. I. — Const. Pii IV *In eligendis*, 9 oct. 1562 — (3) Cap. 3, tit. *de Electione* VI, lib. I in VI. — (4) Decisio Leonis XIII, 25 jan. 1879 — (5) Const. Innocentii X *Militantis Ecclesiæ* 19 dec. 1644.

gium quod vocatur capitulum, et addicti servitio alicujus ecclesiæ. Si hæc ecclesia sit cathedralis, capitulum vocatur cathedrale : secus autem, hæc ecclesia vocatur collegialis seu collegiata.

496 — Capitula sunt *insignia* vel *non insignia*, juxta potiorem illorum excellentiam ; *numerata* ve *non numerata* seu *receptitia*, prout canonicorum numerus est determinatus vel non ; alia sunt demum capitula *regularium* aut *sæcularium*.

497 — Canonici ecclesiæ cathedralis (1) tenentur ad professionem publicam fidei orthodoxæ emittendam, cum canonicatus sui possessionem adipiscuntur (2). Hæc professio fidei fieri debet, non per procuratorem, sed coram episcopo aut ejus vicario (3).

498 — Canonici sunt præbendarii, vel jubilati, vel supranumerarii, vel honorarii.

499 — Canonici *præbendarii* seu *titulares* illi sunt qui non tantum membra sunt capituli, sed tenentur ad omnia officia servitii choralis, et habent *præbendam*, id est jus percipiendi proventus suo titulo adnexos.

500 — Qui obtinent in cathedralibus aut in collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones tenentur ad residentiam et debent omnia divina per se et non per substitutos obire. Toleratur

(1) S. Congr. Concilii, 25 jan. et 9 febr.1726. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12. de Ref. — Const. Pii IV, *Injunctum*, 13 nov. 1564 — (3) S. Congr. Concilii, 25 jan. et 9 febr. 1726, 1 et 8 april. 1786.

autem ut aliquando capitulares sese invicem substituere possint in servitio chori, exclusis coadjutoribus (1) et honorariis (2).

501 — Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti, adsistere et inservire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare, ipsi obligantur (3).

502 — Illorum autem residentia potest esse discontinua, dum autem illa parochorum debet esse continua. Sufficit ut canonici adsint horis præstitutis. Licitum est etiam illis abesse quotannis per trimestre (4), non autem diebus festivis præcipuis et aliis temporibus ab Ordinario determinandis (5).

503 — Spectandum est tamen ad leges peculiares capitulorum; nec omnes simul abesse possunt canonici, sed semper remanere debet numerus sufficiens, ut servitium ecclesiæ non interrumpatur.

504 — Primo anno privatur absens dimidia parte fructuum quos ratione præbendæ ac residentiæ suos fecisset. Deinde, si perseveret in absentia culpabili, privatur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuisset. (6) Hæc pœna privationis est ferendæ sententiæ, sed non prærequiritur monitio. Crescente vero adhuc contumacia, contra eos juxta

(1) S. Congr. Concilii, 28 febr. 1795, 26 jun. 1837, 20 jun. 1838, et præsertim 21 jun. 1803. — (2) S. Cong. Concilii, 4 febr. 1804. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref. — (4) Conc. Trid. eod. loco. — (5) S. Congr. Concilii, 23 ma 81n—181·. 8u j (6) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref.

sacrorum canonum constitutiones procedatur.

505 — Causæ quæ licitam faciunt absentiam unius canonici ita ut fructus faciat suos, sunt : 1° Causa studiorum sive pro studentibus sive pro docentibus in facultate theologica aut juris canonici ; 2° Assumptio duorum canonicorum ab episcopo ut sibi opem præstent in Ecclesiæ servitio ; 3° infirmitas, debilitas aut alia justa et rationabilis corporalis necessitas ; 4° missio canonici ab episcopo ad faciendam ejus loco visitationem sacrorum liminum, vel electio ab eodem ut ipsi hanc visitationem perficienti canonicus comitetur ; 5° indultum jubilationis.

506 — Absentes a choro etiam licite, nisi subsit exceptio a jure prævisa, privari debent distributionibus quotidianis, quæ etiam *fallentiæ* nominantur (1).

507 — Causæ quæ permittunt canonico absenti lucrari tamen distributiones, sunt sequentes : 1° indultum jubilationis ; 2° infirmitas, nisi pro illis qui ante infirmitatem non consueverant assistere choro ; 3° evidens utilitas Ecclesiæ in qua beneficium erectum est vel Ecclesiæ universalis.

508 — Ita v. g. lucrantur distributiones, canonicus theologus ; pœnitentiarius ; ille qui suæ præbendæ adnexam habet curam animarum ; canonicus celebrans missam ob commodum populi et de licentia præfecti chori ; canonicus missus ad visitationem

(1) Cap. unic. tit. *de Clericis non residentibus* III, lib. III in VI ; cap. 32 *de Præbendis* V, lib. III Decretal. — Conc. Trid. sess. XXII, cap. 3, de Ref., et sess. XXIV, cap. 12 de Ref.

sacrorum liminum, vel in hac comitans episcopum, aut assistens episcopo pontificalia celebranti; canonicus munus vicarii capitularis exercens, si illi faveat consuetudo. Item et canonicus recedens per decem dies ad exercitia spiritualia peragenda in pia domo (1).

509 — In ecclesiis tam cathedralibus quam collegialibus in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues ut verosimiliter negligantur, tertia pars fructuum et proventuum converti debet in distributiones quotidianas (2).

510 — Distributiones quas amittunt absentes dividendæ sunt inter præsentes, quando deductæ sunt ex massa communi et indivisa. Sunt vero applicandæ fabricæ ecclesiæ vel alteri pio loco, quando deductæ sunt ex singulis præbendis, habentibus diversam dotem et diversam administrationem (3).

511 — Canonici *jubilati* illi sunt qui per quadraginta annos continuos choro laudabiliter servierunt, et per indultum S. Congregationis, eximuntur a muneribus obeundis.

512 — Canonici *supranumerarii* illi sunt qui admissi ultra numerum pro capitulo assignatum, habent exspectativam præbendæ quæ prior est vacatura.

(1) Decretum Clementis XI, anno 1710. — (2) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 3, de Ref. et sess. XXII, cap. 3, de Ref.; S. Congr. Concilii 23 nov. 1850. — (3) Conc. Trid. iisdem locis. — S. Congr. Concilii, 6 mart. 1843 et 16 febr. 1865.

513 — Canonici *honorarii* illi sunt qui habent stallum in choro, necnon honoris insignia et prærogativas canonicorum, sed carent præbenda et voce in capitulo. Illorum institutio inventa est ut augeatur Ecclesiæ cultus, et ad honorem pro meritis peculiaribus alicui rependendum (1).

514 — Istorum canonicorum positio quamdam secum fert inamovibilitatem ; et episcopus aliquem ex illis repellere non potest nisi quando sacerdotis indigna conversatio id exigit, ita ut contra illum de more procedere necesse sit ad majora scandala præcavenda (2).

515 — Numerus canonicorum sæpe sæpius determinatur in bulla fundationis capituli ; et in hoc casu episcopus non potest eorum numerum augere. Potest vero, si bulla in hoc puncto sileat.

516 — Dignitates in capitulo etiam determinantur ex litteris erectionis et sic vocantur : decanus, præpositus, archipresbyter, archidiaconus, cantor, etc.

517 — Canonicus *theologus* debet, horis determinatis ab episcopo, exponere vel litteras sacras, vel theologiam dogmaticam et moralem (3).

518 — Canonicus *pœnitentiarius* debet excipere confessiones omnium fidelium ad se accedentium. In omnibus ecclesiis cathedralibus instituendus est

(1) S. Congr. Concilii, 26 febr. 1639, 16 febr. 1788, 6 aug. 1808 28 jan. 1837. 6 jul. 1867. — S. Congr. Rituum 31 maii 1817 et 7 sept. 1850 — (2) S. Cong. Rituum, 11 sept. 1847. — (3) Const. Benedicti XIII *Pastoralis*, 19 maii 1725, et Gregorii XVI *Inter multiplices*, 8 maii 1844. — Cf. Bened. XIV *De Synodo*, lib. XIII, cap. 9 n. 17.

ab episcopo. Debet esse doctor vel licentiatus in theologia et in jure canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro qualitate loci reperiatur. Ille, dum confessiones audit, præsens esse censetur (1), quod pro cæteris non verificatur.

519 — Numerus canonicorum honorariorum non est determinatus. Sed non debet esse nimius ut non vilescat titulus et correspondere debet numero canonicorum titularium.

520 — Jus nominandi canonicos honorarios existit penes episcopum, qui tamen in hoc agere debet de consensu capituli (2), et canonici honorarii vindicare sibi non possunt jura eis ab episcopo concessa contra voluntatem capituli (3).

521 — Canonicus honorarius nullum jus habet ad præbendam vacaturam, nec habet vocem passivam aut activam in capitulo (4). Illi autem jus inest induendi vestes et insignia canonicorum, et si officio assistit, sedem habet post canonicos titulares, sed ante beneficiarios et capellanos (5).

522 — Episcopi non debent nisi raro et caute honoris titulos et insignia clericis suis impertiri, et nunquam clericis alienis, inscio et invito Ordinario (6).

523 — *Sede plena*, canonici jus habent deferendi

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 8 de Ref. — (2) S. Congr. Concilii, in causa *Fulginaten*, 6 jul. 1867. — Videatur tamen in contrarium causa 14 jan. 1860. — (3) S. C. Conc, 17 dec. 1836. — (4) S. Congr. Concilii, 11 jan. 1868. — (5) S. Congr. Concilii, 6 jul. 1864. — (6) Epist. S. Congr. Concilii, 16 sept. 1804. Breve SS. Leonis XIII, *Illud est*, 21 jan. 1894.

insignia determinata in bulla erectionis capituli; sed, ex jure communi, eis uti non possunt, nisi in propria ecclesia, et quando incedunt capitulariter.

524 — Præcipuum privilegium canonicorum ecclesiæ cathedralis est jus præcedentiæ super alios clericos, quando incedunt capitulariter, vel delegati sunt a capitulo vel episcopum comitantur.

525 — Canonici debent esse saltem clerici, nisi eorum canonicatui aliquis ordo sit adnexus, et in hoc casu tenentur hunc ordinem infra annum recipere (1).

526 — In ecclesia cathedrali vel collegiata, canonicus qui saltem non est subdiaconus, vocem in capitulo habere non potest (2).

527 — Ad canonicatum ætas competens est 14 annorum pro collegialibus; 20 vero pro ecclesia cathedrali; ad dignitates requiritur ætas 22 annorum. Isti debent insuper pollere scientia sufficienti et integritate vitæ, et fidem probare per professionem emissam momento promotionis suæ (3).

528 — Monet concilium Tridentinum dignitates omnes et saltem dimidiam partem canonicatuum in cathedralibus et collegialibus conferendas fore tantum magistris vel doctoribus aut saltem licentiatis theologiæ vel juris canonici (4).

(1) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 4 de Ref. — (2) Conc. Trid. eod. loco. Cf. Clementina 2ª tit. *de Ætate et qualitate præficiendorum* VI, lib. I. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref. — (4) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref.

529 — Canonicorum officia sunt: inservire, et non per substitutum, ecclesiæ cui addicuntur per solemnem recitationem breviarii in choro, per quotidianam celebrationem missæ solemnis (1), et per servitium chori.

530 — Canonici ecclesiæ cathedralis efficiunt senatum episcopi, cui assistere debent in functionibus sacris et quando choro interest (2).

531 — Generalis regula est: consensum capituli requiri in causis tractandis ab episcopo: ubi de re pertinente ad capitulum agitur; in alienandis rebus ecclesiasticis; in conjungendis ecclesiis et beneficiis; uno verbo, in omnibus rebus nimis arduis (3). Sed ad ista negotia determinanda attendendum est ad consuetudines vigentes (4).

532 — Consilium autem capituli ab episcopo sæpius audiendum est, v. g. in convocanda synodo, in condendis statutis synodalibus, etc. (5).

533 — Capitulum vocem suam non exprimit nisi capitulariter, id est per adunationes et comitia. Convocatio fit a præside aut ab episcopo, et ex canonicis omnes vocari debent qui volunt, possunt et debent interesse.

534 — Votum exprimitur per majoritatem suffra-

(1) S. Congr. Concilii, 18 mart. 1719 et 22 aug. 1874. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref. — (3) Cf. tit. *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli* X, lib. III Decretal. — (4) Cf. Bened. XIV *de Synodo* lib. XIII, cap. 8; cap. 6 *De his quæ fiunt* etc X, lib. III Decretal. et cap. 3 tit. *de Consuetudine* IV, lib. I in VI. — (5) C. Bened. XIV *de Synodo*, lib. XIII, cap. 1.

giorum illorum qui præsentes sunt, et qui saltem tres esse debent. Exceptio est ubi agitur de interesse singulorum. Tunc quod omnes tangit, ab omnibus probari debet (1).

535 — Quando capitulum rite convocatum est ab eo qui jus habet convocandi, præsentes, quocumque numero sint, si saltem tres, negotium expedire possunt, et absentes habentur ut contumaces (2). Si autem nemo sit qui jus habeat convocandi, necesse est ut adsint in loco capituli duæ ex tribus partibus capitulorum, nisi sit periculum in mora.

536 — In deliberationibus et votis capituli, prævalere debet et suum effectum sortiri id quod a majori et saniori parte capituli fuerit constitutum. Requiritur ideo majoritas absoluta suffragiorum. Quoadusque contrarium probetur, per sententiam declarantem indignitatem alicujus, pars major semper reputatur esse partem saniorem (3).

537 — Sede vacante, id est episcopo mortuo, captivo vel alias impedito (4), ex jure communi, capitulum ecclesiæ cathedralis fit administrator ecclesiæ viduatæ, cum tota ordinaria episcopi jurisdictione (5), nisi Sancta Sedes aliter statuerit (6).

(1) Regula juris 29ª in VI. — (2) Cap. 19 tit. *de electione* VI, lib. I Decretal. — (3) Cf. cap. 1 et 4 tit. *De his quæ fiunt a majore parte capituli* XI, lib. III Decretal. — (4) Cap. 3 tit. *de supplenda negligentia prælatorum* VIII, lib. I in VI. — (5) Cap. 14 tit. *De majoritate et obedientia* XXXIII, lib. I Decretal. et cap. un. ejusd. tit. XVII in VI — (6) De casu ubi, sede vacante, nullum est capitulum, consulatur Bened. XIV const. *Quam ex sublimi*, 8 aug. 1755.

538 — Sunt tamen quædam quæ capitulum agere non potest. Non enim est successor episcopi in iis quæ sunt ordinis episcopalis, nec concedere potest litteras dimissorias nisi clericis arctatis, neque aliquid facere quod noceat ecclesiæ aut sedi episcopali, neque conferre beneficia quæ sunt episcopi liberæ collationi (1).

539 — Generatim capitulum administrare debet juxta axioma : *sede vacante, nihil innovetur.*

540 — Ex præcepto concilii Tridentini, capitulum jus et officium habet constituendi œconomum unum aut plures qui rerum ecclesiæ curam gerant, redditituri deinde rationem ei ad quem pertinebit (2).

541 — Ex eodem decreto, capitulum ecclesiæ viduatæ tenetur deputare **vicarium capitularem** per quem exercenda est episcopalis jurisdictio. Ille vicarius capitularis nominandus est infra octo dies ab habita notitia vacationis sedis sive per mortem, sive per renuntiationem, sive per translationem episcopi (3).

542 — Hæc deputatio fieri debet a capitulo capitulariter congregato, more solito, ad majoritatem absolutam suffragiorum (4) et per vota secreta.

(1) Cf. tit. *Ne sede vacante* etc. IX, lib. III Decretal. et præsertim cap. 2 hujus tituli. — (2) Concil. Trid. sess. XXIV, cap. 16 de Ref. — (3) Cf. const. Urbani VIII, *Nobis nuper,* 20 mart. 1625. — (4) Cap. 4, tit. *De his quæ fiunt a majore parte capituli* XI, lib. III Decretal. — S. Cong. Episc. et Regul. 18 nov. 1628, et S. Congr. Concili 21 nov. 1722.

543 — Non necesse est ut eligatur aliquis de gremio capituli; sed cæteris paribus iste est præferendus (1).

544 — Si electio peracta non fuerit infra octo dies, aut si ecclesia vacans non habet capitulum, nominatio devolvitur ad metropolitanum aut ad provinciæ episcopum antiquiorem, si vidua sit ecclesia metropolitana, aut ad episcopum viciniorem, si ecclesia sit exempta. Si demum vacans sit simul ecclesia metropolitana et suffraganea, et hæc sit negligens, deputatio spectat ad capitulum ecclesiæ metropolitanæ, et non ad episcopum antiquiorem (2).

545 — Locus non est nominationi vicarii capitularis quando, vivente episcopo, sancta Sedes deputavit vicarium generalem vel administratorem apostolicum, cujus jurisdictio, in hoc casu, perseverat tempore vacationis sedis (3).

546 — In vicariatibus autem apostolicis, provicarius a vicario designatus et nominatus, ipso jure recipit jurisdictionem, donec noviter electus possessionem adipiscatur (4).

547 — Juri conforme est et menti Ecclesiæ ut unus tantum nominetur vicarius capitularis, juxta axioma juris: una ecclesia debet esse unius sacer-

(1) S. Congr. Episc. et Regul. 22 febr. 1597 et 10 jul. 1602. — (2) S. Congr. Concilii, 28 aug. 1663 et 14 april. 1685. — Bened. XIV *de Synodo* lib. II, cap. 9, n. 2. — (3) S. Congr. Episc. et Regul. 4 aug. 1578 et 22 dec. 1628. — (4) Const. Bened. XIV *Ex sublimi*, 26 jan. 1753, et *Quam ex sublimi*, 8 aug. 1755.

dotis (1). Ille deinde poterit sibi eligere substitutum vel assessorem.

548 — Ex consuetudine vero aliquando tolerari potest ut plures deputentur; sed semper debent administrare in solidum et non collegialiter (2).

549 — Vicarius capitularis debet esse doctor vel licentiatus in jure canonico: et electio facta de aliquo non doctore, etiam de gremio capituli, spreto alio doctore idoneo, irritationi est obnoxia (3).

550 — Eligi non potest in vicarium capitularem ille qui est electus vel nominatus a principe civili ad eamdem sedem vacantem, antequam ipse fuerit a sancta Sede confirmatus (4). Ille autem qui ante suam nominationem jam erat vicarius capitularis, non videtur teneri ad renuntiandum titulo jam acquisito.

551 — Dignitates et canonici transferentes curam et regimen ecclesiæ vacantis sub quovis titulo in aliquem nominatum et præsentatum in episcopum sed non confirmatum, ipso facto incurrunt pœnam excommunicationis et privationis fructuum beneficiorum quæ possident et aliorum suorum proventuum ecclesiasticorum (5).

(1) Cap. 15 tit. *de Præbendis* V, lib. III Decretal. — (2) Cf. responsiones datæ ad episc. Pictaviensem, 7 jun. 1821, ad capitula diœcesis Cadurcensis, 11 mart. 1863, et Petrocoriensis . . . . 1863, et epistola Pii IX ad vic. capitul. Cenomanensem 22 mart. 1862. — (3) S. Congr. Concilii, 28 aug. 1621 et 25 jan. 1862. — (4) Const. Pii IX *Romanus Pontifex* 8 kal. sept. 1873. — Cf. const. Clementis XI *In supremo* 24 aug. 1709; Pii VII epistola ad card. d'Astros et ad card. Maury; allocutio Gregorii XVI 1 mart. 1842. — (5) Const. Pii IX *Romanus Pontifex.*

552 — Capitulum debet in vicarium capitularem transferre totam suam jurisdictionem, nec aliquam partem potest sibi reservare (1). Removere non valet vicarium ab officio suo (2); nec delegatio dari potest ad certum tempus, et non absolute. Talia pacta essent nulla, et deputatio sustineretur integra.

553 — Vicarius capitularis ideo succedit in totam jurisdictionem ordinariam episcopi, iis exceptis quæ illi a jure prohibentur. Non succedit vero in iis quæ sunt de jure extraordinario et delegato, neque in iis quæ sunt potestatis ordinis, etiamsi ipse esset charactere episcopali insignitus.

554 — Non succedit episcopo vicarius capitularis in iis quæ episcopus agere potest tanquam delegatus Apostolicæ Sedis. Potest vero procedere in iis de quibus dicitur episcopum posse agere, *etiam tanquam delegatum a Sancta Sede*. Hæc enim formula indicat jurisdictionem ordinariam et apponitur tantum ad cautelam et ad præcavendas difficultates.

555 — Exceptiones factæ a jure quæ minuunt auctoritatem vicarii capitularis istæ sunt : Non potest conferre beneficia quorum libera collatio pertinet ad episcopum (3) ; neque dare litteras dimissorias nisi ad tonsuram (4), aut uno anno elapso

(1) S. Congr. Concilii, 1 dec. 1736. Const. Pii IX *Romanus Pontifex*. — (2) S. Congr. Concilii, 6 mart. 1681, 9 jun. 1725, et passim. — (3) Hæc collatio reservatur sanctæ Sedi per const. S. Pii V *Cupiens* 9 mart. 1568 et Bened. XIV *Cum illud*, 14 dec. 1742. Cf. cap. 1 tit. *de Institutionibus* VI, lib. III in VI, et cap. un tit. *Ne sede vacante* VIII, lib. III in IV — (4) S. Congr. Conc., 10 febr. 1594.

post sedis vacationem, aut clericis arctatis, illis scilicet qui, propter beneficium jam possessum, tenentur ad ordines recipiendos (1); neque visitare diœcesim, nisi elapsus sit annus ab ultima visitatione ab episcopo peracta (2); neque etiam adunare synodum diœcesanam, nisi etiam post annum a conclusione ultimæ synodi.

556 — Potest vicarius capitularis concedere alicui episcopo facultatem exercendi pontificalia, ecclesias consecrandi et conferendi ordines, et clericos admittere sub jurisdictione diœcesana. Videtur autem illum non posse eos dimittere per excardinationem. Dubium est vero an valeat concedere indulgentias, et ideo in hoc debet sese abstinere (3).

557 — Emolumenta provenientia ex jurisdictione, ex sigillo aut alias undecumque non spectant ad capitulum, neque ad vicarium capitularem, sed reservanda sunt episcopo futuro (4). Idem dicendum est de omnibus quæ revera prælatus defunctus non accepit, etiamsi debeantur ante ipsius obitum(5). Ex iis tamen potest deduci rationabile salarium vicarii capitularis (6).

558 — *Cessat* jurisdictio vicarii capitularis per mortem aut renuntiationem ipsius, per revocationem factam a Romano Pontifice, et demum quando

(1) Conc. Trid. sess. VII, cap. 10 de Ref. — (2) S. Congr. Conc., 29 jul. 1708. Cf. Decretum Gregorii XVI 8 nov. 1843. — (3) S. Congr. Conc., 13 nov. 1688. — (4) Clementina 7, tit. *de Electione* III, lib. I. — S. Congr. Concilii, 27 nov. 1594, 14 oct. 1602, 6 mart. 1847, 14 feb. 1857. — (5) Const. Julii III *Cum sicut*, 26 jun. 1550. —(6) Vide ut supra n° 4

novus episcopus litteras nominationis suæ capitulo exhibuit (1).

559 — Episcopus recens promotus, ab œconomo, a vicario capitulari et a cæteris administratoribus exigere debet rationem officiorum jurisdictionis, administrationis aut cujuscumque eorum muneris; et potest punire delinquentes, etiamsi fuissent a capitulo judicati et absoluti (2).

§ 3. — DE COLLEGIIS ORDINIS JUDICIARII ET ADMINISTRATIVI

560 — Multiplicis generis sunt collegia hujus tertiæ classis. Alia spectant ad res diœcesanas, et sic constituuntur officialitates diœcesanæ, et alia sese referunt ad negotia totius Ecclesiæ. Alia sunt extraordinaria et alia ordinaria. Inter hæc ultima eminent tribunalia Curiæ Romanæ, Familia Pontificia et sacræ Congregationes.

561 — **Curia Romana** componitur sectionibus gratiæ et justitiæ.

562 — Curia gratiæ constat ex Cancellaria Apostolica, Dataria, Pœnitentiaria, Camera et quintuplici Secretaria. Curia justitiæ constat ex S. Rota et tribunalibus utriusque Signaturæ.

563 — *Cancellaria* providet expeditioni actorum

(1) Const. Pii IX *Romanus Pontifex,* 8 kal. sept. 1873. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 16 de Ref.

pontificalium, et præsertim bullarum. Constat cardinali *vice-cancellario*, aliis prælatis qui dicuntur summista, subsummista et substitutus, et cæteris qui distinguuntur in duo collegia dicta: abbreviatorum de Parco majore et de Parco minore.

564 — *Dataria* concedit sive beneficia sive dispensationes matrimoniales super impedimentis publicis. Illi præest cardinalis *pro-datarius,* adjutus a pluribus prælatis et secretariis. Isti sunt: subdatarius, præfectus officii qui dicitur *per obitum;* alius præfectus officii qui dicitur *concessum;* administrator generalis componendarum; præfectus datarum; revisor dispensationum matrimonii; revisores supplicarum; officialis *de missis* et officialis brevium. Denique veniunt alii officiales: revisor computorum; scriptor bullarum per viam secretam expediendarum; custos supplicarum; custodes regestorum, et tandem præfectus ærarii.

565 — *Pœnitentiaria* instituta est pro expediendis gratiis pontificis, quæ attingunt forum conscientiæ, quales sunt absolutiones a peccatis et a censuris, dispensationes super impedimentis matrimonialibus occultis, etc. Illi præest cardinalis *pœnitentiarius major*, cui assistunt pœnitentiarii minores sedentes in basilicis majoribus ad administrandum sacramentum pœnitentiæ, et cæteri qui dicuntur componere officia majora et officia minora. Officium majus constituunt regens, datarius, corrector, sigillator, theologus et decretorum doctor. Officiales secundæ classis

sunt: secretarii, substituti, scriptores et etiam prosigillator (1).

566 — *Camera Apostolica* tractat de bonis temporalibus Ecclesiæ Romanæ. Illi præsidet cardinalis *camerarius*, qui, sede vacante, successor fit Pontificis, in sua terrena ditione. Hunc adjuvat auditor Cameræ Apostolicæ, qui suum proprium habet tribunal, et alii qui dicuntur: Prælati de Camera.

567 — *Secretaria* quintuplex est: Memorialium, Brevium, Brevium ad principes, Epistolarum latinarum et Status. Secretaria *memorialium* recipit supplices libellos, eos offert Pontifici et expedit responsiones. Tres aliæ sequentes mittunt litteras pontificias, in diversis casibus, sed in forma minus solemni. Secretaria *Status* moderatur externum Ecclesiæ regimen, et tractationes agit cum externis principibus.

568 — *Sacra Rota*, quæ successit Consistoriis, est tribunal supremum compositum duodecim auditoribus, quorum munus est judicandi causas spirituales aut civiles, non autem criminales, delatas ad Pontificem. Actio hujusce tribunalis fere ad nihilum fuit redacta per institutionem Congregationum.

569 — *Signatura justitiæ* est quoddam tribunal in quo expediuntur contentiones quæ ad justitiam administrativam spectant. Constat cardinali præ-

(1) Quoad attributiones S. Pœnitentiariæ videatur const. Benedicti XIV, *Pastor bonus*, 13 april. 1744; *Romanus Pontifex*, 13 april 1744; *In Apostolicæ*, ejusdem diei; *Quamvis jam*, 13 dec. 1747 et *Pastoralis*, 5 aug. 1748.

fecto et votantibus Signaturæ, quibus adjunguntur prælati referendarii.

570 — *Signatura gratiæ* est tribunal ipsius Pontificis in iis causis quarum decisio ex gratia ipsius postulatur. Illi præest ipse Papa, et sedent quidam cardinales, adjuti etiam a votantibus et referendariis.

571 — Ex motu proprio SS. Leonis papæ XIII, 15 decembris 1878, Rota tractare debet de rebus litigiosis in materia Rituum et de causis beatificationis et canonizationis. Votantes Signaturæ et abbreviatores de Parco majore et de Parco minore videbunt relationes episcoporum sacra limina visitantium.

572 — Inter membra Curiæ Romanæ adnumerandi sunt etiam prælati qui dicuntur de **familia pontificia**, et isti, præter cardinales palatinos et episcopos solio assistentes, sunt protonotarii apostolici, prælati domestici, cubicularii et capellani.

573 — *Protonotarii* sunt vel participantes seu de collegio ; vel supranumerarii, seu ad instar participantium ; vel honorarii.

574 — Protonotarii apostolici pluribus fruuntur privilegiis (1); induunt vestem et cappam violaceam cum usu rochetti, et in quibusdam solemnitatibus missam celebrare possunt cum mitra et indumentis pontificalibus, ritu quasi episcoporum.

575 — Protonotarii ad instar participantium iisdem

(1) Cf. const. Pii IX *Quamvis peculiares.*

gaudent privilegiis, non autem supranumerarii, qui tamen gestare possunt habitum prælatitium, sed nigrum.

576 — Cubicularii sunt vel secreti participantes, vel secreti ad instar participantium, vel supranumerarii, vel honorarii, vel demum honorarii extra Urbem. Hanc prælaturam isti omnes amittunt quando moritur Papa.

577 — Prælatorum classis nobilior constat *prælatis domesticis* ad inserviendum personæ Pontificis. Eis præferuntur soli protonotarii qui, eo ipso, inter eos adnumerantur.

578 — Tandem familia Pontificia constat etiam capellanis tam secretis quam honorariis.

579 — **Congregationes Romanæ** sunt collegia particularia constituta in Urbe ex aliquot cardinalibus aliisque viris prætantissimis, pro nonnullis negotiis ecclesiasticis curandis, discutiendis, definiendis et judicandis.

580 — Earum jurisdictio dicitur Apostolica, et ideo est supra canones quia vices agunt Romani Pontificis cum amplissima delegatione. Dicïtur etiam ordinaria, quia est ad universalitatem causarum et permanens etiam post mortem Pontificis. Hæc potestas est simul administrativa, legislativa, judiciaria et coërcitiva, sed fori mere externi.

581 — Dispositio in negotiis extrajudicialibus, vel sententia in causa forensi, emanans a Congre-

gatione qualibet, facit verum jus et veram parit obligationem pro personis in actu contemplatis. In utroque enim casu, decisio Congregationis induit indolem actus potestatis ecclesiasticæ supremæ.

582 — Resolutio alicujus Congregationis in puncto juris generalis, approbata a Romano Pontifice et publicata per solemne decretum, facit jus generale (1). In specie autem particulari, sententia obligat tantum litigantes; sed plures decisiones conformes in casibus similibus habent auctoritatem interpretationis doctrinalis.

583 — Congregationes Romanæ non solent exprimere motiva suarum decisionum. Argui ideo non potest de argumentis exhibitis a secretario, vel ab advocatis, vel a consultoribus.

584 — Congregationes constituunt quidam cardinales a Papa designati. Debent esse saltem tres præsentes in adunationibus ad deliberandum et ad judicandum. Ordinario, unus ex illis constituitur præses, qui vocatur hujus congregationis *præfectus*.

585 — In singulis congregationibus sunt etiam secretarius, substitutus seu auditor et consultores.

586 — Aliquando pro quibusdam negotiis gravissimis expediendis, Papa constituit congregationes extrordinarias, quæ dissolvuntur eodem negotio finito.

587 — Multiplices sunt congregationes Romanæ

(1) Ita v. g. Decretum Leonis Papæ XIII, diei 17 mart. 1879, confirmans decisionem S. Congregationis Concilii diei 13 ejusdem mensis.

ordinariæ, scilicet : S. Officii seu generalis Inquisitionis Romanæ, Concilii, Indicis, Consistorialis, Sacrorum Rituum, Episcoporum et Regularium, Pro examine episcoporum, Fabricæ Sancti Petri, de Propaganda Fide, Immunitatis ecclesiasticæ, Visitationis Apostolicæ, Disciplinæ regularis, Indulgentiarum et sacrarum Reliquiarum, Super negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Studiorum et pro revisione Conciliorum particularium.

588 — Congregatio *Inquisitionis Romanæ* seu *Sancti Officii* instituta est a Paulo III. Illius præfectus est ipse Papa, et secretarius unus cardinalium. Constat non tantum cardinalibus et officialibus, sed aliis qui sunt : commissarius S. Officii, ordinarie assumptus ex ordine S. Dominici, qui processus format et vices gerit judicis ordinarii ; advocatus fiscalis ; advocatus reorum ; consultores et qualificatores.

589 — Illius est vigilare super puritate fidei et punire crimina contraria, ut v. g. hæresim, schisma, sacrilegia, sortilegium etc. Decisiones profert de rebus fidei et morum, et condemnat propositiones et doctrinas erroneas, libros periculosos et clericos de crimine convictos (2).

590 — Congregatio *Concilii* seu Interpres Concilii Tridentini, est instituta a Pio IV (2), ut vigilet observationi Decretorum Tridentinorum, et ipsius

(1) Const. *Alias nos*, 2 aug. 1564. — (2) De Secreto S. Officii videantur const. Clementis XI, 1 dec. 1709 et Clementis XIII, 1 febr. 1759.

facultates plurimum auctæ sunt a Pontificibus S. Pio V et Sixto V (const. *Immensa*).

591 — Illius est interpretari decreta hujusce synodi, judicare et statuere super omni re disciplinari quam tractavit idem concilium.

592 — Huic adnexa est sectio ejusdem, quæ italice vocatur *Concilietto*, cujus est examinare relationes episcoporum super statu suæ ecclesiæ, cum ipsi accedunt ad limina Apostolorum, et etiam congregatio super *residentiam* episcoporum (1). Utraque eumdem præfectum habet ac ipsamet congregatio Concilii.

593 — Congregatio *Indicis* instituta est a S. Pio V. Illius est proscribere libros perversos aut periculosos typis mandatos, et illorum lectionem, usum et conservationem prohibere (2).

594 — Congregatio *Consistorialis* fundata est a Sixto V ad elucidandos processus et præparanda negotia quæ sunt expedienda in consistorio. Illius est examinare præsentationes, nominationes vel postulationes promovendorum ad episcopatum. Illius præfectus est ipse Papa.

595 — Congregatio *Rituum*, ab eodem Sixto V instituta, munus habet curandi ut regulæ liturgicæ applicentur, et reformandi abusus hac in re irrepentes. Illius est etiam vigilare super integritate li-

(1) Instituta per const. Urbani VIII *Sancta synodus*, 12 dec. 1634, et Benedicti XIV *Ad universæ*, 3 sept. 1746. — (2) Cf. Conc. Trid. sess. XVIII et sess. XXV de Ref. — Const. S. Leonis XIII *Officiorum* 8 Kal. febr., 1897, cum decretis S. Cong. Indicis, 7 aug, 1897, 23 maii, 18 junii et 3 sept. 1898.

brorum liturgicorum, corrigere et approbare officia propria vel nova, et dirimere quæstiones relativas ad ritus et ad cæremonias. Ad illam etiam spectat instructio processuum beatificationis et canonizationis sanctorum.

596 — Responsiones S. Congregationis Rituum, dummodo scripto formaliter editæ fuerint, eamdem auctoritatem habent ac si immediate ab ipso summo Pontifice promanarent, quamvis nulla fuerit de iisdem relatio facta Sanctitati suæ (1). Sufficit ut istæ responsiones sint subscriptæ ab ejusdem Congregationis præfecto et secretario ac ejusdem sigillo munitæ (2).

597 — Congregatio *Episcoporum* unita fuit a Sixto V Congregationi *Regularium;* ejus officium est dirimere causas et controversias exortas sive nter episcopos ipsos, sive inter episcopum et clerum, sive etiam inter regulares. Etiam approbat, in casu, congregationes religiosorum.

598 — Congregatio *pro examine episcoporum* nominandorum fuit instituta a Gregorio XV, et est veluti complementum congregationis Consistorialis

599 — A Clemente VIII erecta fuit congregatio *Fabricæ Sancti Petri*, cujus munus est vigilare super basilicam Vaticanam et bona illius. Hæc eadem congregatio facultatem habet minuendi onera legatorum piorum et missarum fundatarum, in toto orbe.

600 — Gregorius XV, constitutione *Inscrutabili*,

(1) Decisio 23 maii 1846. — (2) Responsio diei 8 april. 1852.

22 junii 1622, incrementum dedit Congregationi *de Propaganda Fide* jam institutæ opera Gregorii XIII, ad promovendam fidei prædicationem in regionibus infidelium, et ad regendam illam partem orbis christiani, in qua hierarchia ecclesiastica non est juxta morem ordinarium constituta.

601 — In gremio ejusdem congregationis, Pius IX instituit sectionem quæ, sub eodem præfecto, speciatim vigilare debet super Ritus orientales.

602 — Urbanus VIII instituit congregationem *Immunitatis ecclesiasticæ*, ad tuendum et defendendum privilegium immunitatis et libertatis Ecclesiæ quoad loca sacra, bona et personas. Quæ congregatio nunc unitur Congregationi Concilii.

603 — Idem Pontifex creavit congregationem *Visitationis apostolicæ*, quæ munus accepit a Pontifice peragendi visitationem diœcesis romanæ, quam per se Papa perficere nequit.

604 — Ab Innocentio X instituta est Congregatio prius dicta reformationis Regularium, nunc designata sub nomine *Disciplinæ regularis*. Illius est inquirere de bonis et de incolis domuum religiosarum, et custodire disciplinam in ordinibus et congationibus Regularium, una cum congregatione Episcoporum et Regularium.

605 — Congregatio *Indulgentiarum* et *Reliquiarum* originem ducit a Clemente IX, ad solvendas difficultates et elucidandas quæstiones quæ exsurgere possunt relate ad Indulgentias et ad reliquias

sanctorum. Illius est impedire ne in istis aliquid falsum reperiatur (1).

606 — Demum Pius VII instituit congregationem *Pro negotiis ecclesiasticis* extraordinariis, Leo XII congregationem *Studiorum* et Pius IX alteram *Pro revisione conciliorum particularium,* adnexam congregationi Concilii.

607 — Plures sunt etiam aliæ congregationes erectæ ad tractanda negotia minoris momenti ut v. g. congregationes *domus Lauretanæ, pro ædificatione basilicæ S. Pauli*, etc.

608 — Duplex est **modus agendi** in Congregationibus. Est alia methodus summaria et alia magis solemnis.

609 — Congregationes aliquando priori methodo utuntur, et, ut dicitur, *per summaria precum.* Hæc tamen nunquam adhibetur in causis canonizationis Sanctorum, nullitatis professionis religiosæ aut matrimonii.

610 — Causæ judicantur ad majoritatem absolutam suffragiorum. In quibusdam casibus, Eminentissimi Cardinales sententiam proferre nequeunt, nisi auditis consultoribus.

611 — Excluduntur ab adunationibus advocati et procuratores. Allegationes partium, defensiones et replicationes semper fiunt in scriptis. Fere semper instructiones causarum committuntur Ordinariis locorum.

(1) Motu proprio SS. Leonis XIII, 31 oct. 1897, quoad partes explendas a S. Cong. Indulg. et Reliq. — Cfr. Const. Clementis IX, 6 julii 1669 et Pii IX, 2 jan. 1855.

612 — Non solent in Congregationibus expediri negotia nisi audito Ordinario proprio oratoris, vel superiore generali vel saltem provinciali religiosi postulantis. Decisio prolata, ex more solito, remittitur Ordinario vel superiori regulari, sed tantum ad nudum ministerium exsequendum.

613 — Non datur, nec dari potest veri nominis appellatio a sententiis Congregationum ; sed partes postulare queunt, infra decem dies, beneficium novæ audientiæ, quod semel semper conceditur a cardinali præfecto.

614 — Post hoc spatium decem dierum, sententia transit in rem judicatam : quod contingit quoties sententiæ jungitur clausula : *Et amplius.*

615 — Causæ contentiosæ, criminales, administrativæ et etiam consultativæ videntur et terminantur juxta regulas determinatas pro singulis Congregationibus, v. g. pro Congregatione Concilii a Pio IX, die 9 aug. 1847; pro Congregatione Episcoporum et Regularium, anno 1834 et 1835 etc.

616 — Juxta morem ordinarium, Congregationes non recipiunt memorialia vel supplicationes nisi a manu ad manum, id est non viva voce, aut per litteras simpliciter missas, nunquam per telegraphum. Supplicationes debent dirigi ad Papam ipsum, et indicare nomen, qualitates, domicilium et diœcesim supplicantis.

617 — In causis contentiosis, necessario adhiberi debet ministerium procuratoris recogniti a Congregatione. Ille fit causæ patronus; nomen suum

apponit omnibus documentis, et ea præsentat secretario Congregationis.

618 — Causa introducitur per memoriale, quod ille qui postulat justitiam, præsentat vel præsentare facit secretario, et in quo declarat se agere in prima instantia vel appellare a sententia inferioris judicis.

619 — Hoc sufficit ut causa introducatur ; sed appellans debet infra viginti dies eligere procuratorem, alioquin censeretur deseruisse appellationem. Exinde, causa sequitur ordinem prævisum a regulis Congregationis. Procuratori notificatur sententia, et illius est postulare, in casu, novam audientiam.

620 — In causis non contentiosis, unusquisque potest præsentare supplicationes aut consultationes et recipere rescripta vel responsa. Sed hæc fieri solent per agentes intermedios.

621 — Aliquando contingit idem negotium competere posse et attribui pluribus Congregationibus. In hoc casu, datur locus præventioni, et causa tractari debet unice ab illa Congregatione quæ prior negotium suscepit. In suo decreto, *Ut occurratur*, diei 4 junii 1692, prohibuit papa Innocentius XII ne recursus fiat simul ad duas Congregationes, et nulla declaravit gratias et rescripta, sic fraudulenter obtenta.

TITULUS II.

DE OFFICIIS CLERICORUM

622 — Honoribus et juribus correspondent onera et officia. Ex istis quædam sunt omnibus clericis communia; alia vero quibusdam eorum specialia.

CAPUT I.

De officiis omnibus clericis communibus

623 — Decet clericos vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant: levia enim delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis efferant venerationem (1).

Ideo ex eorum officiis, alia sunt positiva et alia negativa.

624 — Clerici debent pollere *scientia* sufficienti et *probitate* morum.

(1) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 1 de Ref. — Cf. can. 3 Dist. XXIII, 1ª parte Decreti.

625 — Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas et Canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat; atque ædificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina (1).

626 — Nulli sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim res a nobis digne servabitur, si Decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populi permissa, frangatur? (2)

627 — Sine intermissione debent episcopi monere et hortari omnes clericos ut sæpe in opportunum locum, ad spiritualia exercitia peragenda, recedant (3). De hoc possunt etiam præceptum facere (4).

628 — Clerici debent etiam tonsuram et *vestem* clericalem deferre (5). Hujus autem vestis clericalis forma determinandá est juxta episcopi ordinationem et mandatum (6).

629 — Clerici majores in hoc inobedientes puniri possunt sive suspensione ab ordinibus, sive privatione beneficiorum (7).

630 — Clerici minores non gaudent privilegio

(1) Conc. Tolet. IV, cap. 24, Can. 1 dist. XXXVIII, 1a parte Decreti. — (2) S. Cœlestinus Papa, ep. 3, Can. 4 ejusd. dist. — Encyclica Pii IX *Qui pluribus*, 9 nov. 1846. Cf. Const. Benedicti XIV *Ubi primum*, 3 dec. 1740. — (4) S. Cong. Concilii, 20 sept. 1878. — (5) Cf. can. 21, 22 et 32 dist. XXIII, 1a parte Decreti; cap 4, 5, 6 et 7 tit. *de Vita et honestate clericorum* I lib. III Decretal.; Const. Sixti V *Cum Sacrosanctam*, 9 jan. 1589 — (6) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 6 de Ref. — (7) Clem. 2 tit. *de Vita et honest. cleric.* I, lib. III; Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 6 de Ref.; const. Sixti V, *Cum Sacr.*, 9 jan. 1589; Benedicti XIII, *Apostolicæ Ecclesiæ*, 2 mai 1725 et Benedicti XIV, *Pastor bonus*, 13 april. 1744.

fori, si vestem clericalem aut tonsuram non deferant, et privantur ipso facto fructibus et proventibus suorum beneficiorum (1).

631 — Clerici **abstinere** debent ab illis omnibus quæ animum a rebus sacris nimis distrahunt, vel quæ offendunt lenitatem, vel quæ vilia reputantur.

632 — Imprimis, alieni esse debent a familiaritate cum mulieribus, et nunquam apud se retinere eas de quibus haberi potest suspicio (2).

633 — Clerici qui in hac re inveniuntur rei, debent statim a superioribus moneri, et deinde, si perseverantes sint in eodem delicto, puniri ut habetur cap. 14 sess. XXV, de Ref. inter decreta Concilii Tridentini.

634 — Nec clerici debent nimis facile accedere ad moniales, præsertim si ipsi regulares sint (3).

635 — Ex decreto S. Congr. Concilii, approbato a Clemente IX die 11 maii 1669, statuitur regulares quoscumque absque legitima facultate accedentes ad colloquendum, etiam per quodcumque modicum tempus, cum monialibus aut aliis in clausura degen-

(1) S. Congr. Concilii, 11 aug. 1595, 6 oct. et 1 dec. 1612; const. Benedicti XIII, *Apostolicæ*, 2 maii 1725. — (2) Can. 16, 17 et 18 dist. XXIII; can. 24 et seqq. dist. LXXXI, 1ª parte Decreti et totus titulus II lib. III Decretal. *de Cohabitatione clericorum et mulierum*. — (3) Cap. 8 tit. *de Vita et honest. cleric.* I, lib. III Decretal.; S. Congr. Concilii, 26 jun. 1627, 11 mart. 1669 et 26 nov. 1672; Encyclica Benedicti XIV *Gravissimo*, 31 oct. 1749: Decretum Sixti V, nonis maii 1590; Urbani VIII, 12 kal. dec. 1623, et Decretum S. Congregationis Concilii, 11 maii 1669, approbatum a Clemente IX.

tibus, peccare mortaliter et posse coërceri ab Ordinario, tanquam Apostolicæ Sedis delegato, pœna excommunicationis, privatione vocis activæ et passivæ, et aliis pœnis, nec posse absolvi a superiore proprii ordinis. Sufficit autem licentia concessa ab episcopo.

636 — Hæc prohibitio certe non spectat confessarium ordinarium seu visitatorem, bene vero confessarium extraordinarium, cum ipse munus suum adimplevit (1). Eidem etiam prohibetur commercium per epistolas.

637 — Omnes etiam clerici abstineant a crapula, ab ebrietate et ab omnibus quæ speciem habent horumce vitiorum, ut a conviviis et a cœnis, sicut a tabernarum frequentatione (2).

638 — Eisdem prohibetur ludus in quo potissimum sors dominatur, aut aliunde minus honestus (3).

639 — Illis interdicitur a legibus generalibus venatio clamorosa (4), et quæcumque alia potest prohiberi ab episcopo (5).

640 — Clerici arma portantes excommunicantur (6), nisi excuset eos necessitas.

641 — Neque illis licet exercere quasdam artes

(1) Const. Benedicti XIV, *Pastoralis curæ*, 5 aug. 1748. — (2) Cap. 14 tit. *de Vita et honest. clericorum* I, lib III Decretal. — (3) A S. Congr. Concilii, die 20 dec. 1687, correctum fuit decretum episcopale, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibitus erat sacerdotibus ludus alearum aut taxillorum. — (4) Can. 1, 2 et 3 dist. XXVI, 1ª parte Decreti. ; S. Cong. de Prop. fide, 8 april. 1862 et 29 martii 1873 ; Cong. S. Officii, 17 jan. 1883. — (5) S. Congr. Concilii, 16 dec. 1854. — (6) Cap. 2 tit. *de Vita et honest. cleric.* I, lib. III Decretal.

quæ opponi videntur lenitati, aut quæ viliores reputantur, ut v. g. ars chirurgica, vel cauponis, vel lanii, a fortiori histrionis vel comœdi (1).

642 — Neque etiam debent munera vel negotia sæcularia gerere, neque negotiationi, commercio aut mercaturæ operam navare (2). Clericus non potest disponere de bonis sic acquisitis per testamentum aut donationem causâ mortis (3). Hoc fuit specialiter prohibitum presbyteris, missionariis vel non, degentibus in regionibus exteris (4).

643 — Nec etiam licet eis sese immiscere in judicio ferendo, præsertim in causa sanguinis, neque studiis nimis profanis incumbere (5).

644 — Clerici majores vel minores beneficiati, munus advocati coram judice sæculari exercere non debent, nisi propriam causam aut Ecclesiæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, nec etiam acceptare procurationes villarum aut jurisdictiones sæculares (6).

(1) Cap. 12 tit. *De vita et honest. cleric.* I, lib. III Decretal.; Clementina 1ª ejusd. tit. et Encyclica Clementis XIII, *Cum primum*, 17 sept. 1759. — Cap. 4 tit. *De vita et honest.* I, lib. III Decretal., et cap. unico ejusd. tit. in VI. — (2) Cf. can. 3 et seqq. dist. LXXXVIII, 1ª parte Decreti; cap. 16 tit. *De vita et honest.* etc. I, lib. III Decretal. — (3) Const. Benedicti XIV, *Apostolicæ servitutis*, 25 febr. 1741, et Clementis XIII, *Cum primum*, 17 sept. 1759. — (4) Const. Urbani VIII, *Ex debito*, 22 febr. 1633, et Clementis IX, *Sollicitudo*, 17 jun. 1669. — (5) Cap. 9 et cap. 3 tit. *Ne clerici vel monachi* etc. I, lib. III Decretal. — (6) Cap. 1 et 3 tit. *De Postulando* XXXVII, lib. I Decretal

CAPUT II.

De officiis specialibus quibusdam clericis

645 — Juxta diversos gradus hierarchiæ ordinis, diversa sunt officia adimplenda ab iis qui diversis ordinibus insigniuntur ; sed duæ sunt leges impositæ clericis majoribus, scilicet leges divini Officii recitandi et Cœlibatus observandi. Etiam, clericis beneficiatis obligatio imponitur residentiæ.

646 — **Officium divinum** definitur : series laudum et precum, ab Ecclesia instituta et ipsius nomine adhibenda.

647 — Preces determinatæ ab Ecclesia pro Officio recitando continentur in Breviario (1), et nulla alia formula adhiberi potest ut obligationi fiat satis. Episcopi penitus carent facultate mutandi aliquid in Breviario a Curia Romana approbato (2).

648 — Ex constitutione S. Pii V, retineri potest Breviarium quod a bis centum annis tunc temporis in usu erat, modo tamen iste usus non inter-

(1) Cap. 1 tit. *De celebratione missarum* XLI, lib. III Decretal. ; Const. S. Pii V, *Quod a nobis*, 9 jul. 1568, et *Quo primum*, 14 jul. 1570 ; Clementis VIII, *Cum in Ecclesia*, 10 maii 1602, et Urbani VIII, *Divinam psalmodiam*, 25 jan. 1631. — (2) Jus disponendi officium erat olim penes metropolitanos ; can. 13 et 14 dist. XII, 1ª parte Decreti.

rumpatur. Secus, nullum admitti potest Breviarium, nisi illud quod fuit recognitum jussu Pontificum Clementis VIII et Urbani VIII (1).

649 — Officia propria necnon et kalendarium perpetuum possunt adoptari a singulis diœcesibus, sed postquam fuerunt approbata a Romano Pontifice per S. Congregationem Rituum.

650 — Officium integre et publice debet recitari in ecclesiis cathedralibus, regularibus et collegiatis, præsertim insignibus, a clericis eisdem ecclesiis addictis ; nec potest episcopus hac de re illos dispensare (2).

651 — Dispensatio dari non potest, nec exceptio legitima approbari, nisi ex beneplacito et Indulto Apostolico.

652 — Privatim sacrum Officium recitare tenentur : 1° illi qui sunt in ordinibus majoribus constituti ; 2° beneficiati ; 3° omnes religiosi utriusque sexus ad chorum destinati.

653 — Hæc obligatio est ex natura sua gravis ; obligat omnes supra enuntiatos sub mortali et beneficiatos sub pœna restitutionis (3).

654 — Omittentium et negligentium pœnæ sunt : privatio fructuum beneficii et deinde amissio beneficii ipsius, si perseverantes fuerint in delicto (4).

(1) Cf. epist. Gregorii XVI ad archiep. Rhemensem, 6 aug. 1842, et responsio data ad archiep. Bisuntinum a S. Congr. Rituum, 8 aug. 1856. — (2) Benedictus XIV, *Institut. ecclesiast.* — 107, n. 7 ; S. Congr Concilii, 23 jan. 1864. — (3) Const. Leonis X *Statuimus*, in conc. Lateranen. V. — (4) Const. S. Pii V, *Ex proximo*, 22 sept. 1571.

655 — Excusant a recitatione Officii : 1° infirmitas; 2° justum impedimentum et labor aliunde præceptus aut valde utilis ; 3° carentia breviarii ; 4° dispensatio quæ dari non potest nisi a Papa.

656 — Moniales vota solemnia professæ tenentur sub gravi ad recitationem Officii suo instituto proprii ; non autem religiosi utriusque sexus quorum vota simplicia sunt (1).

657 — A primis Ecclesiæ sæculis, viguit praxis **cœlibatus** pro clericis constitutis in hierarchiæ ordinis gradibus majoribus (2).

658 — Ideo, in utraque Ecclesia, illis prohibetur matrimonium contrahendum ; in Ecclesia latina, hæc interdictio sanctionem habet nullitatem matrimonii. In Ecclesia vero orientali, dubitatur an impedimentum ordinis sit dirimens vel prohibitivum (3). Disciplina vero Ecclesiæ latinæ viget pro sacerdotibus italo-græcis (4).

659 — Quoad vero usum matrimonii jam contracti, Ecclesia latina illum prohibet clericis majoribus. In Ecclesia vero orientali, talis inhibitio

(1) S. Congr. Episc. et Regul. 19 april. 1844, et 24 mart. 1882 ; et S. Pœnitentiaria, 26 nov. 1852. — (2) Cf. dist. XXXI, 1ª parte Decreti, præsertim can. 2 Conc. Carthaginiensis ; et cap. 1 tit. *De clericis conjugatis* III, lib. III Decretal. — (3) Cf. instructio Benedicti XIV *Eo quamvis*, § 38, 4 maii 1745 ; Pii IX, 24 maii 1858, et Responsio S. Congr. Inquisitionis, 22 dec. 1875. — (4) Const. Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, 26 maii. 1742.

imponitur tantum episcopis et monachis, non autem presbyteris et diaconis (1).

660 — In disciplina utriusque Ecclesiæ, hoc aliud existit discrimen quod in Ecclesia orientali clericus minor aut subdiaconus contrahens matrimonium conservat beneficia et privilegia sui ordinis. Contrarium vero observatur in Ecclesia latina (2).

661 — In Ecclesia latina, si quis matrimonii vinculo detentus, ad ordines accedere desiderat, illius uxor debet votum continentiæ emittere, et si aliquo modo sit suspecta, debet religionem ingredi (3).

662 — Plectuntur excommunicatione ipso facto episcopis reservata clerici in majoribus ordinibus constituti, matrimonium attentantes (4), vel matrimonium sic dictum civile contrahere præsumentes, in locis ubi lex Tridentina de clandestinitate viget (5) — Eadem pœna afficiuntur regulares et moniales post votum solemne castitatis, necnon et omnes cum aliqua ex his personis matrimonium contrahere præsumentes.

(1) Ex decreto Concilii Trullani, can. 13 et can. 12 et 14 dist. XXXI, 1ª parte Decreti; cap. 6 tit. *De clericis conjugatis* III, lib. III Decretal.; cf. epist. S. Congr. de Propaganda fide ad archiep. Fogarien. et Albæ-Julien., 28 jun. 1858. — (2) Cap. 1, 2 et 3 tit. *De clericis conjugatis* III, lib. III Decretal. — (3) Cap. 5 et 6 tit. *De conversione conjugatorum* XXXII, lib. III Decretal. — (4) Const. *Apostolicæ Sedis*, § 3, n. 1. — (5) Congr. S. Officii, 22 dec. 1880.

663 — Si autem matrimonium consummare ausi fuerint, irregulares isti clerici fiunt propter bigamiam similitudinariam. Demum, matrimonium attentantes cum errore formali, id est arbitrantes hoc matrimonium esse validum, considerari debent et puniri tanquam hæretici (1).

664 — Clerici minores qui uxorem accipiunt, beneficio ecclesiastico quod possident, debent spoliari (2). Tales clerici non gaudent privilegiis clericorum, nec tenentur ad tonsuram deferendam (3).

665 — Pro quibusdam clericis existit etiam lex **residentiæ**. Quæ definitur : commoratio assidua in ecclesia seu in loco beneficii, ratione servitii ecclesiastici personaliter præstandi. Hinc in sensu canonum, residentiæ officio deest, ille qui, etiamsi commoretur in loco, tamen officium non præstat.

666 — Ex concilio Tridentino, sess. XXIII, cap. 1, aperte manifestatur præceptum residentiæ esse sub gravi, et quodam modo saltem, fundatum in jure divino.

667 — Non potest autem clericus assumere aliquod officium ecclesiasticum aut sæculare, quod exposcat habitualem absentiam a loco beneficii, nisi existat dispensatio aut excusatio prævisa a jure. Sic

(1) Ex can. 9 sess. XXIV, Conc. Trid. — (2) Cap. 3 et 5 tit. *De clericis conjugatis* III, lib. III Decretal. — (3) Cap. 7 et 9 ejusd. tit.

parochus deputari non potest tanquam vicarius generalis.

TITULUS III.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

668 — Justum est ut clerici gaudeant quibusdam privilegiis ; quia illorum conditio differt a conditione laicorum ; — quia istis privilegiis correspondent specialia officia adimplenda ; — et quia demum eadem vergunt in commodum totius societatis, et non tantum privatorum.

669 — Clerici privari possunt privilegiis clericalibus, v. g. per bigamiam, etiam licitam. Eisdem tunc prohibetur deferre tonsuram et habitum clericalem (1). Clericus autem iisdem privilegiis non fruitur, nisi ferat habitum clericalem et tonsuram (2).

670 — Suis privilegiis singuli clerici renuntiare nequeunt, quia constituta fuerunt non ad utilitatem privatorum, sed ad bonum totius communitatis (3).

671 — Disputatum fuit an jure divino aut ecclesiastico, clerici declarandi sint immunes ab oneribus

(1) Cap. in tit. *De bigamis non ordinandis* XII, lib. I in VI. — (2) Cap. 1 tit. *De clericis conjugatis* II, lib. III in VI. — (3) Cap. 12 tit. *De foro competenti* II, lib. II Decretal. ; et cap. 36 tit. *De sententia excommunicationis* XXXIX, lib. V Decretal.

cæteris civibus impositis. Certum est vero illos immunes esse debere ab illis functionibus quæ incompatibiles sunt cum vita clericali, v. g. a militiæ servitio (1).

672. — Tria sunt præcipua privilegia clericis a jure concessa, scilicet : Privilegia canonis, competentiæ et fori.

673. — Privilegium **canonis** exprimitur in sequenti canone concilii Lateranensis II : « Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum eum absolvere præsumat, nisi mortis cogente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, et illius mandata suscipiat (2) ».

674 — Ex constitutione Martini V *Ad vitanda scandala*, percussores clericorum habendi sunt tanquam excommunicati *vitandi*, etiamsi non intercesserit sententia judicis, modo factum sit publicum et notorium.

675 — Lateranense decretum fuit confirmatum a constitutione *Apostolicæ Sedis*, ita tamen ut excommunicatio quam incurrunt percutientes et lædentes S. R. E. Cardinales, episcopos et nuntios, sit speciali modo reservata ; illa autem cui obnoxii sunt cæterorum clericorum percussores, sit eidem Pontifici simpliciter reservata (3).

(1) Instructio Cong. S. Officii, 6 sept. 1875. — (2) Can. 29, q. 4, causæ XVII, 2a parte Decreti. — (3) § I, n. 5 ; § II, n. 2.

676 — Verba decreti Lateranensis *in clericum vel monachum*, intelligi debent sensu latiori, in ordine ad personas sic designatas. Ideo privilegio canonis fruuntur omnes clerici tonsurati, etiam conjugati, si cum unica et virgine matrimonium inierint, habitum et tonsuram deferant et alicui ecclesiæ deserviant; item et omnes regulares utriusque sexus, etiam conversi et novitii, dummodo in communitate vivant et vestem religiosam deferant.

677 — Non incurritur excommunicatio si percussio fuerit levis, si non ex odio vel indignatione, si ex levitate jocosa, vel si facta fuerit intuitu disciplinæ servandæ et ad correctionem justam (1).

678 — Neque excommunicationi subjacent percussores, si clericus fuerit fortuito vulneratus; aut si inventus fuerit in crimine cum matre, uxore aut filia percussoris (2); et si apparuerit ut laicus (3).

679 — Verba canonis Lateranensis intelligi debent etiam sensu lato, in eo quod spectat ad facta clericis nociva. Sic excommunicantur non tantum percutientes, sed lædentes quocumque modo, ut, in carcerem detinentes, venenum propinantes, etc. Item mandantes et etiam non obstantes (4).

680 — Ex capite *Odoardus* (5), eruitur privilegium

(1) Cap. 1 tit. *De sententia excomm.* XXXIX, lib. V Decretal. — (2) Cap. 3 ejusd. tit. — (3) Cap. 14 ejusd. tit. — (4) Cap. 6, 24 et 27 ejusd. tit.; cap. 23 ejusd. tit. XI in VI; Const. *Apostolicæ Sedis*. — (5) Cap. 3 tit. *De solutionibus* XXIII, lib. III Decretal.

competentiæ, in eo consistens quod clericus non potest ad extremam miseriam adigi a creditoribus eum persequentibus.

681 — Sed ad hoc requiritur ut ille clericus recognoscat obligationes suas, ut impar factus fuerit ad debita solvenda ex fortuna adversa et non ex dolo, ut teneatur ex contractibus bona fide initis, ut sit obligatus per actionem realem, ut promittat se debita soluturum fore, si fortuna deinde fiat illi propitia.

682 — Privilegium **fori** in eo consistit quod clerici judicari debent non a tribunalibus laicis, sed a foro ecclesiastico. Dicitur etiam privilegium immunitatis personalis (1).

683 — Forum ecclesiasticum vero illud est cui præest clericus et cujus munus est tractare causas ecclesiasticas.

684 — Principium hujus privilegii est de jure divino. Dicit enim Concilium Tridentinum « personarum ecclesiasticarum immunitatem . . . . Dei ordinatione et canonicis sanctionibus institutam . . . . fuisse » (2).

(1) Cf can. 1 et seqq. q. 1ª causæ XI, 2ª parte Decreti. « Nullus judicum, neque presbyterum, neque diaconum aut clericum ullum aut minores Ecclesiæ, sine permissa Pontificis, per se distringere aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia Dei, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum cognoscens emundet. » (Cap. 2 tit. *De foro competenti* II, lib. II Decretal.) — Const. Martini V *Ad Reprimendas,* 1 feb. 1428 et Urbani VI. *Quia sicut,* 10 dec. 1383. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 20 de Ref.

685 — Sunt causæ quæ judicari nequeunt nisi a tribunali ecclesiastico, ut sunt causæ respicientes fidem, sacramenta, sacras functiones, necnon officia et jura sacro ministerio adnexa, in specie vero causæ matrimoniales (1).

686 — Privilegio fori non gaudet clericus nisi habeat beneficium, vel clericalem habitum et tonsuram deferat, alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat, vel vivat in Seminario clericorum, aut in aliqua schola aut universitate, de licentia episcopi sui (2).

687 — Licet conforme sit æquitati, regulis juris et praxi sæculorum, ut omnes causæ clericorum, præsertim criminales, judicentur a tribunalibus ecclesiasticis, tamen, hac in re, privilegium fori non videtur esse de jure divino, et ideo in hoc potestas pontificia cedere potest de jure antiquo, et has causas definiendas remittere tribunalibus civilibus.

688 — Plectuntur excommunicatione R. P. specialiter reservata, impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium aut favorem præstantes (3).

689 — Eadem pæna afficiuntur cogentes sive

(1) Cf. Concordata inita cum Imperatore Austriæ, anno 1855. — (2) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 6 de Ref. — (3) Const. *Apostolicæ Sedis*, § 1 n. 9.

directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones (1).

690 — Dictum est deinde: excommunicationem eos non attingere qui subordinati sunt, etiamsi judices fuerint, sed in eos latam esse qui a nemine coacti, vel talia agunt, vel alios ad hæc peragenda cogunt (2).

691 — In locis in quibus fori privilegio per summos Pontifices derogatum non fuit, tenentur singuli judices laici, prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint: eamque Ordinarii nunquam denegabunt tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicæ non licet. Secus, in judicem animadverti potest tanquam violatorem privilegii fori (3).

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, ibid. — (2) S. Congr. Inquisitionis, 1 febr. 1871. — (3) Declaratio Congr. S. Officii, 23 jan. 1886.

LIBER SECUNDUS
DE LAICIS

692— Laici vocantur illi qui subsunt in Ecclesia et qui ideo debent obedire illis qui præsunt, scilicet clericis.

693 — In illis spectari possunt etiam personæ singulares et quædam laicorum collegia.

CAPUT I
De laicis spectatis singulariter.

694 — Licet nulla sit hierarchia ecclesiastica inter laicos, tamen jus canonicum penes illos quasdam admittit distinctiones.

695 -- Ex jure divino vel naturali distinguuntur baptizati et catechumeni ab infidelibus, viri a mulieribus, conjugati ab illis qui cœlibes sunt, servi a liberis, et ad hæc omnia attendit Ecclesia in suis legibus.

696 — Cum etiam, ex jure gentium, existat distinctio inter principes et populum, magistratus et cives, Ecclesia, nonnullis dispositionibus suarum legum, manifestat suam venerationem erga illos

qui politicam auctoritatem detinent, et quorum etiam potestas est a Deo.

697 — Ex jure ecclesiastico, quidam constituuntur in statu separationis a cœtu fidelium, ut censurati et pœnitentes.

Sect. I. — De officiis laicorum.

698 — Laici, sicut etiam et clerici, debent observare præcepta Ecclesiæ, quæ in catechismo continentur, et quæ statuta sunt ad hoc ut pressius enuntietur praxis tenenda in observandis præceptis divinis.

699 — Colenda sunt festa quæ statuerunt Pontifices servanda esse de præcepto (1).

700 — Omnibus diebus dominicis, omnes fideles debent toti missæ sacrificio assistere. Moneri debent etiam ut missæ parochiali intersint (2).

701 — Saltem semel quotannis debent peccata sua confiteri (3).

702 — Saltem quotannis, tempore Paschali, communionem recipere tenentur in ecclesia sua parochiali (4).

703 — In diebus quatuor temporum, in vigiliis ab Ecclesia designatis, et toto Quadragesimæ tempore, exceptis dominicis, tenentur ad jejunium observandum.

704 — Lex autem jejunii importat unicam refectionem in die et abstinentiam a quibusdam cibis,

(1) Cf. Urbanus VIII, const. *Universa* 13 sept. 1642. — (2) Conc Trid. sess. XXII ; Decretum de observandis et evitandis in sacrificio missæ. — (3) Can. *Utriusque sexus*, conc. Lateranensis IV. — (4) Ibid.

scilicet a carne et ab aliis quæ ab animalibus originem ducunt, ut ova, lac et lacticinia.

705 — Ad hanc legem observandam non tenentur illi qui annum vigesimum primum non compleverunt, vel qui excusantur propter debilitatem aut laborem, aut qui dispensantur a potestate legitima.

706 — Illi qui excusantur a jejunio possunt vesci carnibus pluries in die (1); illi autem qui tenentur ad jejunium et dispensati sunt circa carnis comestionem, unica vice tantum in die hoc cibo uti possunt.

707 — Quando autem permittitur usus carnis diebus jejunii, etiam extra Quadragesimam, permisceri non debent in iisdem epulis carnes cum piscibus (2). Hoc præceptum viget etiam in dominicis Quadragesimæ; obligat omnes qui solvuntur a lege jejunii (3), ratione ætatis, infirmitatis vel laboris, et etiam pueros post septennium (4); in omnibus diebus jejunii, non autem cæteris feriis VI aut Sabbatis per annum (5), et prohibitio extenditur non tantum ad pisces, parvos aut magnos, sed ad ostrea, et ad ea quæ dicuntur *frutti di mare* (6).

708 — Diebus Veneris et Sabbatis per annum observanda est abstinentia a carnibus, non tantum

(1) S. Pœnit. 16 mart. 1882. — (2) Const. Benedicti XIV, *Non ambigimus*, 30 maii 1741; *In Suprema*, 22 aug. 1741, *Libentissime*, 10 jun. 1745; et Clementis XIII, *Appetente*, 20 dec. 1759. — (3) Congr. S. Officii, 24 mart. 1841 et 23 jun. 1875. — (4) S. Pœnitentiaria 15 mart. 1837. — (5) S. Pœnitent. 8 feb. 1834. — (6) S. Pœnit. 15 mart. 1837.

sub forma cibi, sed etiam in forma condimenti, nisi detur dispensatio.

SECT. II — DE PRÆROGATIVIS LAICORUM.

709 — Quædam sunt prærogativæ, quas Ecclesia concessit quibusdam personis laicis, et sunt præsertim jus *advocatiæ* et jus *patronatus*.

710 — Jure ecclesiastico confirmante jus naturale, Ecclesia elegit sibi inter reges et principes **advocatos** seu defensores, quorum munus erat tueri sua jura et suam libertatem.

711 — Officium istud fuit institutum in commodum et non in detrimentum Ecclesiæ; nullo modo igitur tales titulares uti possunt hoc munere ad illam vexandam aut ad illius libertatem imminuendam.

712 — **Jus patronatus** definitur : Jus concessum ab Ecclesia, consistens in quibusdam honoribus, commodis et oneribus, in ordine ad quamdam ecclesiam aut ad quoddam beneficium.

713 — Potest esse penes unam personam vel physicam vel moralem, vel etiam apud plures qui agunt sive singulariter, sive ad majoritatem, sive in solidum.

714 — Præcipui modi quibus acquiritur jus patronatus sic exprimuntur:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus (1).

715 — Modus secundarius acquisitionis ejusdem juris est concessio facta a Romano Pontifice ; nullus

(1) Cf. Conc. Trid. sess. XXV, cap. 9 de Ref.

autem alius est qui hoc jus concedere valeat.

716 — Jus patronatus est ecclesiasticum, vel laicale, vel mixtum ; — hæreditarium, familiare aut gentilitium ; — personale vel reale ; — activum vel passivum.

717 — Jus patronatus ecclesiasticum illud est quod adhæret ecclesiæ vel dignitati ecclesiasticæ, et quod exercetur ab illo clerico qui hanc ecclesiam administrat, vel hoc beneficium obtinet ; — Laicale, illud est quod spectat ad laicum, vel etiam ad clericum, sed non ratione beneficii ; — Mixtum, illud est quod pertinet ad plures ; ad unum, ratione dignitatis ecclesiaticæ, ad alium, tanquam laicum.

718 — Jus patronatus hæreditarium illud est quod sic constitutum est ut transeat ad hæredes possidentis, etiam extraneos ; — familiare, illud est quod transmittitur tantum ad filios et ad descendentes possidentis ; — gentilitium transit in omnes etiam affines qui junguntur familiæ prioris patroni. Formas plurimas speciales induere potest.

719 — Jus patronale est personale quando adhæret personis, seu familiis intuitu personarum ; est autem reale, quando est affixum alicui fundo, ita ut sit proprietarii hujus rei.

720 — Jus patronatus activum dat jus præsentandi aliquem, ut iste nominetur ad beneficium vacans ; jus passivum dat illi qui eodem gaudet, jus ut ille præ cæteris nominetur. Nemo autem potest præsentare seipsum (1).

(1) Cf. cap. 26 tit. *De jure patronatus* XXXVIII, lib. III Decretal.

721 — Jus patronatus transferri potest ex successione testamentaria aut ab intestat, et juxta regulas prævisas in tabulis fundationis; ex donatione, tum rei cui adhæret jus, tum juris ipsius; ex permutatione vel ex venditione rei cui adnexum est jus patronatus reale.

722 — Sed nunquam ratio habenda est hujusce juris ad compensationem pretii in venditione aut in permutatione. Jus patronatus non est pretio æstimabile, et qui secus ageret, reus esset simoniæ (1).

723 — Jura patroni sunt utilia, onerosa et honorifica.

724 — Jura utilia patroni hæc sunt: 1° ipse potest in fundatione reservare sibi vel suis, aut etiam alienis, annuam partem reddituum; 2° Patronus in inopiam vergens, sicut uxor et filii ejus, jus habet recipiendi alimenta ab ecclesia ab illo patronata (2).

725 — Jura onerosa incumbunt etiam patrono, scilicet jura inspectionis, defensionis, conservationis et instaurationis ecclesiæ patronatæ.

726 — Patrono ecclesiæ ruinosæ præfigendus est terminus trium mensium ad perficiendas restaurationes; quo inutiliter elapso, locus est amissioni juris patronatus (3).

727 — Inter jura honorifica enumerantur honores

(1) Cap. 16 ejusd. tit. — (2) Cap. 25 ejusd. tit. — (3) S. Congr. Concilii, 15 dec. 1827, 25 sept. 1858, 27 jul. 1861.

processionis, thurificationis, precum, sedis specialis, aquæ benedictæ et sepulturæ.

728 — Sed præcipuum jus honorificum patron consistit in præsentatione quæ est nominatio seu designatio idoneæ personæ in beneficium vacans instituendæ.

729 — Præsentatio, necessario et sub pœna nullitatis, fieri debet episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio pertinet (1). Fieri potest per mandatarium, sed litteris in forma authentica conscriptis et eidem Ordinario exhibitis.

730 — Patrono laico conceduntur quatuor menses ad præsentationem faciendam; sex vero patrono ecclesiastico (2). Laicus autem potest plures præsentare, non quidem simul, sed successive, ita ut posterior præsentatio priorem non destruat. Hoc facere non potest patronus ecclesiasticus. (3)

731 — Qui autem infra tempus definitum jure suo uti negligit nec legitime impeditus fuit, hac vice, eodem jure privatur, et illud jus ad superiorem devolvitur, ipso facto, et quin detur moræ purgatio.

732 — Patronus ecclesiasticus præsentans indignum jure suo privatur, et collatio fit libera; laico vero licet alium præsentare. Si agatur de ecclesia parochiali, præsentatio ab ecclesiastico patrono fieri debet post concursum; si autem patronus sit laicus,

(1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 13 de Ref. — (2) Cap. 22 et 27 tit. *De jure patronatus* XXXVIII, lib. III Decretal. — (3) Cap. 24 ejusd. tit.

sufficit ut examinatores præsentatum judicent idoneum.

733 — Legitime præsentatus, si idoneus sit, per præsentationem acquirit jus ad beneficium possidendum; et si beneficium alteri conferatur absque justo motivo, institutio nulla est.

734 — Si autem ante præsentationem collator concesserit beneficium, institutio valet donec patronus reclamaverit opportuno tempore, scilicet infra spatium a jure determinatum. (Vide art. 730).

735 — Jus patronatus amittitur ex delicto, si v.g. patronus rectorem ecclesiæ occiderit vel mutilaverit, si factus fuerit hæreticus aut simoniacus. Delictum autem unius patroni non nocet aliis compatronis, si qui sint.

736 — Cessare potest etiam jus patronatus : 1° destructione ecclesiæ vel amissione dotis; 2° morte patroni vel exstinctione ejusdem familiæ; 3° voluntaria cessione expressa vel tacita; 4° non usu per quadraginta annos.

737 — Episcopi est judicare de amissione juris patronatus, sicut et de lite quacumque in hac materia.

738 — Dicitur **commenda**, concessio facta alicui non titulari, ut jus habeat percipiendi fructus alicujus beneficii et administrandi jurisdictionem spiritualem.

739 — Commenda per abusum concessa fuit aliquando etiam laicis; nunc vero absolute prohibetur

ne aliquod beneficium sive sæculare sive regulare, in commendam detur alicui nisi clerico.

CAPUT II
De collegiis laicorum.

SECT. I — DE CONFRATERNITATIBUS

740 — Confraternitates definiri possunt: Fidelium congregationes, auctoritate ecclesiastica constitutæ, ad pia opera exercenda.

741 — Distinguuntur confraternitates et archiconfraternitates; confraternitates parochiales et extra-parochiales; ecclesiasticæ vel laicales.

742 — Originem ducunt a regularibus ordinibus, quibus præcipuæ confraternitates remanent adnexæ: distinguuntur tamen a tertiis ordinibus.

743 — Confraternitates erigi possunt ab Ordinariis et a superioribus ordinum religiosorum. Archiconfraternitates institui nequeunt nisi a Papa, et facultate gaudent aggregandi sibi novas confraternitates.

744 — Unica tantum confraternitas, ejusdem generis, institui potest in ecclesiis regularium et sæcularium, et etiam in eodem loco. Excipiuntur confraternitates SS. Sacramenti et Doctrinæ Christianæ, quæ existere queunt in singulis parœciis, et

aliæ etiam ex dispensatione, privilegio aut consuetudine (1).

745 — Confraternitates institui debent de consensu Ordinarii, cum litteris testimonialibus ejusdem cui jus inest examinandi, approbandi et corrigendi statuta. Confraternitas debet etiam, juxta mentem Ordinarii eleemosynas recipere et eas erogare in pios usus.

746 — In hac institutione confraternitatum, servari debet formula a Papa Clemente VIII approbata (2).

747 — Episcopus jus habet visitandi confraternitates et compellendi administratores ad rationes reddendas; potest assistere congregationibus, sed nequit admittere vel expellere confratres, nec assumere administrationem bonorum confraternitatis.

748 — Quoad præcedentiam, confraternitates quæ prius usæ sunt saccis, in processionibus tam publicis quam privatis, præcedere debent. Exceptio tamen fit in favorem sodalitatis SS. Sacramenti in processionibus in quibus defertur SS. Eucharistia.

749 — Quoad controversias exortas inter parochos et confraternitates, plurimæ sunt responsiones et decreta quæ inniti videntur hoc principio, nempe; distinguendæ sunt functiones parochiales et simpliciter sacerdotales. Priores reservandæ sunt parocho in cujus ecclesia vel territorio sunt celebrandæ;

(1) Const. Clementis VIII *Quæcumque*, 7 dec. 1604, et Pauli V *Quæ salubriter*, 3 nov. 1610 — (2) Vide apud Ferraris, Bibliotheca Canonica, V° *Confraternitas.*

posteriores vero spectant ad rectorem sodalitatis (1).

750 — Aggregatio uniuscujusque ad confraternitatem fit per inscriptionem nominis in libro sodalitatis per illum qui deputatur ab Ordinario ad recipiendos confratres. Leo Papa XIII renovavit antiquam disciplinam, juxta quam ille qui aggregatur, debet esse præsens (2).

SECT. II — DE FABRICERIIS.

751 — Fabriceria seu Fabrica est collegium laicorum vel clericorum determinati loci, cui incumbit munus administrandi bona ecclesiastica deputata ad manutentionem ecclesiæ ædiumque cultui divino addictarum et ad præbendas expensas cultus.

752 — Debent hujus institutionis regulæ probari ab Ecclesia, et jus præcipit ut isti administratores reddant rationes Ordinario.

(1) Cf. S. Cong. Rituum, 10 dec. 1703 et 30 mart. 1878. — (2) Die 13 april 1878. — S. Cong. Indulgentiarum, 28 april. 1761, 26 nov. 1880 et 16 jul. 1887.

LIBER TERTIUS

DE REGULARIBUS.

CAPUT I.

De notione vitæ regularis.

753 — Illi qui vitam regularem diversis sæculis assecuti sunt, curaverunt observanda consilia evangelica, relate scilicet ad virtutes obedientiæ, paupertatis et castitatis.

754 — Juxta leges hodiernas, vita regularis definienda est: fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuis castitatis, paupertatis et obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus (1).

CAPUT II.

De adscriptione regularium.

755 — Ingressus alicujus personæ in religionem fit per **professionem**, quæ definitur : Actus quo quis

(1) Ita S. Alphonsus a Ligorio.

ad hoc habilis, publice regularem statum assumit, superiore hujus religionis recipiente et approbante.

756 — Professio dici potest simplex vel solemnis, prout vota quæ in ea fiunt, sunt simplicia vel solemnia, — et expressa vel tacita. Quæ ultima olim habebatur quando religiosus, expleto novitiatu, remanebat in domo religiosorum professorum, cum eorumdem habitu (1). Nunc vero professio tacita dicenda est omnino abrogata (2).

757 — Conditiones requisitæ ad professionem sunt: 1º *Bona fama*, ita ut eædem fere requirantur conditiones ac pro statu clericali, excepta tamen legitimitate natalium. De hac bona fama constare debet per litteras testimoniales Ordinariorum sive originis, sive loci in quo postulans, post expletum 15 annum ætatis suæ, ultra annum moratus fuerit; quæ litteræ sunt a superioribus religiosis sub gravissimis pœnis requirendæ (3).

758 — Requiritur: 2º *Novitiatus*, qui debet esse conversatio saltem unius anni completi et non interrupti, ab hora ad horam (4), in habitu religioso et in domo ad hoc deputata (5), sub pœna nullitatis

(1) Cap. 4 et 22 tit. *De Regularibus* XXXI, lib. III Decretal., et cap. 1 eod. tit. XIV lib. III in VI; Decretum S. Cong. Rituum, 14 aug. 1894, de modo faciendi solemnem votorum professionem. — (2) Declaratio Pii IX per decretum Cong. super statu Regularium, 12 jun. 1858. — (3) Const. Pii IX *Romani Pontificis*, 25 jan. 1848, et *Regulari disciplinæ*, ejusd. diei. — (4) S. Congr. Concilii, 21 jan. et 5 jul. 1617; 1 febr. 1631. — (5) Const. Clementis VIII *Regularis disciplinæ*, 19 mart. 1603, et *Sanctissimus*, 19 maii 1602, et Urbani VIII *Sacra congregatio*, 21 sept. 1624.

professionis, quæ secus nullam imponit obligationem ad cujuscumque regulæ observationem aut ad alios quoscumque effectus (1).

759 — Ut aliquis possit recipere habitum religiosum, duplex requiritur scrutinium. Unum perficitur in provincia in qua fit habitus susceptio, votantibus provinciali et septem aliis religiosis. Sufficit suffragiorum stricta majoritas. — Secundum scrutinium Romæ faciendum est a Superiore generali ordinis, vel a procuratore, si superior Romæ non resideat, et a tribus examinatoribus generalibus. Etiam observandæ sunt constitutiones speciales cujuscumque ordinis (2).

760 — Requiritur: 3° *Ætas,* ita ut professio tam virorum quam mulierum fieri non possit, sub pœna nullitatis, ante annum XVI expletum (3). Puella vero assumere non potest habitum religiosum, nisi major XII annis sit (4). Statutum est etiam conversos non posse admitti ad habitum ante ætatis annum XX (5).

761 — Requiritur: 4° *libertas*, quæ deficere potest pluribus modis, v. g. in servis qui religionem ingredi non possunt absque consensu dominorum; in obligatis ad ratiocinia (6); in sponsis quibus,

(1) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 15 de Regul. — (2) Const. Pii IX *Regulari disciplinæ,* 25 jan. 1848. — (3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 15 de Regul. — (4) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 17 de Regul. — (5) Const. Clementis VIII, *In Suprema,* 2 april. 1602. — (6) Const. Sixti V, *Cum de omnibus,* 26 nov. 1587, et *Ad Romanum,* 22 oct. 1588; Clementis VIII, *In Suprema,* 2 april. 1602.

post matrimonii consummationem, necessarius est assensus alterius conjugis, qui debet etiam continentiam vovere.

762 — Repugnante vero suo conjuge, aliquis potest ingredi monasterium, si non fuerit consummatum matrimonium quod tunc dissolvitur, vel si altera pars amiserit sua jura matrimonialia per adulterii ,hæresis aut apostasiæ crimen (1).

763. — Presbyteri religionem ingredi nequeunt, nisi postulato consensu sui episcopi, qui tamen rationabiliter obsistere non potest. Religiosi non possunt transire ad alium ordinem rigidiorem, nisi impetrata venia sui superioris (2), nec ad ordinem laxiorem, nisi ex concessione Pontificis (3).

764 — Completa libertas inesse debet illis qui vitam regularem profiteri desiderant. Concilium Tridentinum anathemate percutit illos qui cogerint virginem aut viduam ad suscipiendum habitum et ad professionem emittendam (4).

765 — Probabiliter eadem pœna incurreretur, si coactio exerceretur in viros; professio sic facta est nulla, nisi vovens in principio vel postea libere consenserit (5).

766 — Eamdem pœnam statuit concilium contra

(1) Cf. tit. *De conversione conjugatorum* XXXII, lib. III Decretal. — (2) Cap. 18 tit. *De Regularibus* XXXI, lib. III Decretal. — Decretum Urbani VIII, 21 sept. 1624; Const. Benedicti XIV, *Ex quo dilectus*, 14 jan. 1747. — (3) Cap. 5 ejusd. tit. *De Regularibus*. — Conc. Trid. sess XXV, cap. 19 de Regul. — (4) Sess. XXV, cap. 18 de Regul. — (5) Cap. 1 tit. *De his quœ vis metusve causa fiunt* XL, lib. I Decretal.

illos qui impedirent mulierem volentem monasterium intrare et professionem emittere.

767 — Ad hanc libertatem tuendam, voluntas puellæ exploranda est ab episcopo, a vicario generali aut ab alio delegato, ante habitus susceptionem, et ante professionem; et ideo illa quæ præest monasterio, tenetur, ante mensem, episcopum certiorem facere, sub pœna suspensionis quamdiu episcopo videbitur (1). Hoc fieri debet etiam in monasteriis exemptis (2).

768 — Simili consilio, statuit eadem synodus quod nulla renuntiatio beneficii aut obligatio antea facta a novitio, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi, cum licentia episcopi sive ejus vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri nisi secuta professione : aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione etiam jurata, sit irrita et nullius effectus(3).

769 — Duobus mensibus ante professionem, superior provincialis vel superior domus novitiatus, audita relatione magistri novitiorum, debet novitium interrogare per se vel per idoneum religiosum, de voluntate profitendi, de spiritu quo ducitur, de indole regulæ instituti.

770 — Deinde idem Superior, auditis singulis re-

(1) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 17 de Regul. — (2) S. Cong. Concilii, 16 sept. 1662. — (3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 16 de Regul.

ligiosis in domo novitiatus commorantibus, debet capitulum domus convocare et suffragia capitularium exquirere. Hanc sententiam capituli communicare debet tribus examinatoribus qui judicent cum magistro novitiorum utrum dignus sit novitius qui ad professionem admittatur. Tandem provincialis de hisce instructum debet facere Superiorem generalem qui, susceptis etiam aliis informationibus, judicium examinatorum confirmare vel revocare debet. Insuper observanda sunt requisita a constitutionibus singulorum ordinum (1).

771 — Per constitutionem *Neminem latet* diei 9 martii 1857, jussit Pius IX ut in ordinibus virorum, novitii emittant primum, post annum XVI suæ ætatis, vota simplicia, et deinde post triennium tantum, vota solemnia. Quæ vota simplicia perpetua sunt ex parte voventis, sed solvi possunt a Superiore religionis, ad tramites dispositionum hujus Constitutionis.

772 — Declarata fuit irrita et prorsus nulla professio votorum solemnium pro viris, quoties, quacumque ex causa, omissa fuerunt hæc vota simplicia (2).

773 — Professi talium votorum simplicium admittuntur ad participationem omnium gratiarum et privilegiorum quibus fruuntur professi votorum

(1) Decretum Pii IX, *Regulari disciplinæ*, 26 jan. 1848. — (2) Const. Pii IX, *Ad universalis Ecclesiæ*, 7 febr. 1862. — Declaratio diei 12 jan. 1858.

solemnium, et suffragium habent in capitulis, exceptis tamen casibus in quibus agitur de admissione alicujus professi votorum simplicium ad vota solemnia (1).

774 — Professi votorum simplicium tenentur ad observantiam regulæ eodem modo ac tenentur religiosi solemniter professi. Quoad vero votum paupertatis, ipsi possunt retinere *dominium radicale* suorum bonorum, sed illis interdicitur eorumdem administratio et usus reddituum (2).

775 — Poterit Superior generalis et provincialis, ex justis et rationabilibus causis, differre professionem votorum solemnium, non tamen ultra ætatem 25 annorum completorum. Si vero provinciales non sint in hoc ordine, hæc eadem facultas attribuitur Superiori domus novitiatus, de consensu magistri novitiorum et duorum religiosorum, qui in hoc instituto aliquo gradu sint insigniti.

776 — Facultas dimittendi religiosum votorum simplicium existit penes Superiorem generalem cum suo consilio. In casibus autem extraordinariis, ille potest ad hoc delegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent.

777 — Ad hoc non requiritur forma judicialis, sed procedi potest sola veritate facti inspecta. A Superioribus agendum est cum summa charitate et prudentia, et ex justis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota (3).

(1) Cf. ead. declaratio — (2) Ibid. — (3) Ibid ; S. Cong. super statu Regul., 15 dec. 1893 et S. Cong. Ep. et Reg., 27 feb. 1891.

778 — **Professio** facit religiosum et constituit contractum indissolubilem inter profitentem et ordinem religiosum, ita ut utraque pars teneatur ad mutuum officium adimplendum (1).

779 — Tenetur exinde professus ad obedientiam et ad cætera vota adimplenda: ex altera parte, obligatur ordo religiosus ad præbendum eidem omnia quæ necessaria sunt ad vitam et ad conversationem sive corporalem sive spiritualem.

780 — Professio solemnis etiam tollit irregularitatem ex natalibus intuitu sacrorum ordinum, non autem dignitatum; matrimonium ratum et non consummatum dissolvit, contrahendum autem dirimit; irritat omnia vota in sæculo emissa; solvit a patria potestate, in iis quæ professum gravant, non autem in iis quæ eidem favent; facit vacantia beneficia possessa ab illo qui profitetur; demum transmittit ejusdem bona ad hæredes perinde ac si mortem naturalem obiisset.

781 — Si dubium exstiterit de validitate professionis, regularis debet infra quinquennium a die professionis emissæ, nullitatis argumenta proponere judicanda, et interim remanere in claustris et cum habitu religioso: secus, ipsius causa non admittitur et ipse consideratur ut apostata (2).

782 — Causa judicanda est ab Ordinario et a Superiore regulari qui potest delegare alium, non

(1) Cap. 13 et 17 tit. *de Regularibus* XXXI, lib. III Decretal. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 19 de Regul.; Const. Benedicti XIV, *Si datam*, 4 mart. 1748.

vero eumdem Ordinarium, qui in hoc casu solus procederet, quod est interdictum.

783 — Ab antistite loci eligendus est defensor professionis qui agere debet ad tramites constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione*, de causis matrimonialibus (1).

784 — Conficiendus est judicialis processus, in quo exhibendi sunt articuli ab eo qui professionem impugnat, interrogatoria danda a professionis defensore, et testes audiendi ex utraque parte.

785 — Citandi sunt etiam defensor monasterii in quo professus vota emisit, ipsius propinqui et illi omnes quorum interest professionem ratam et validam esse, et imprimis illi qui coactionis aut metus incussi auctores aut complices designantur.

786 — Si professio judicetur irrita, defensor professionis semper appellare debet, et causa non censetur finita nisi post secundam sententiam conformem. Judices autem in secunda instantia sunt judex appellationis ordinarius in causis ecclesiasticis et Superior alterius monasterii ejusdem Ordinis existentis in eadem diœcesi, vel in viciniore, aut saltem persona ab eodem Superiore deputanda.

787 — Si quinquennii spatium fuerit elapsum, petendum est beneficium restitutionis in integrum a Sede Apostolica, quæ etiam procedere valet per viam dispensationis ad cautelam, per S. Congregationem Episcoporum et Regularium.

(1) Videatur infra, parte II, cap. 9. sect. VI.

788 — Religiosus *ejectus* ille est qui ex religione quam professione voverat culpa sua exire compellitur. Non censetur autem ejectus ille qui dimittitur, nondum emissis votis solemnibus ad tramites constitutionis *Neminem latet*. Superiores vero ejicere nequeunt subditos nisi in casu veræ incorrigibilitatis (1), et ipsi tenentur requirere et excipere ejectos si adsit spes emendationis.

789 — Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum, ipso jure incurrunt religiosi ejecti extra religionem degentes (2).

790 — Religiosus *fugitivus* ille est qui, sine licentia Superioris, a monasterio recedit cum animo iterum revertendi (3). — *Apostata* ille est qui discedit cum animo totaliter deserendi monasterium vel ordinem.

791. — Ex decreto *Auctis admodum* S. Cong. Ep. et Reg. 4. nov. 1892, religiosi expulsi suspensi manent ab exercitio ordinum; et dimissi, sub eadem pœna, remanere debent in claustro, donec inveniant episcopum receptorem et de patrimonio ecclesiastico sibi provideant (5).

CAPUT III

De lege votorum.

792 — Nunc, de essentia vitæ religiosæ est **ut**

(1) Decretum Urbani VIII, 21 sept 1624, et Innocentii XII, 24 jul. 1694. — Const. *Apostolicæ Sedis*, nº 5. — (3) Const. Sixti V, *Cum de omnibus*, 26 nov. 1587, et *Ad Romanum*, 22 oct. 1588. — (4) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 4 de Regul.; Const. Pauli IV, *Postquam divina*, 20 jul. 1558. — (5) Responsiones ejusd. Cong. 20 nov. 1895, 4 julii et 16 aug. 1898.

emittantur **tria vota religionis**, scilicet vota perpetua castitatis, paupertatis et obedientiæ, quibus professus sese obstringit ad consilia evangelica observanda (1).

793 — Voto *castitatis*, religiosus non tantum renuntiat matrimonio, sed omni delectationi carnali peccaminosæ, ita ut tale peccatum ab illo commissum, specialem induat malitiam.

794 — De essentia voti *paupertatis* est, ut religiosus sese spoliet saltem jure utendi bonis temporalibus.

795 — Nemini igitur regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia aut mobilia tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur (2), juxta axioma: quidquid acquirit monachus, acquirit monasterium.

796 — Administratio bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos eorumdem officiales, ad nutum Superiorum amovibiles, pertinet (3).

797 — Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut singulorum supellex statui paupertatis

(1) Const. S. Pii V, *Lubricum*, 17 nov. 1568. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 2 de Regul. — (3) Conc. Trid. eod. loco. — Pro regionibus in quibus, ordinibus religiosis injuste oppressis, legislatio considerat religiosos singulos tanquam proprietatis capaces, consulantur: Instructio data pro religiosis Belgii, die 1 dec. 1820 et confirmata a Leone XIII, die 31 jul. 1878, et instructiones datæ a S. Pœnitentiaria pro Italia die 28 jun. 1866 et 18 april. 1867, et Decretum ejusdem 18 april. 1868 et 21 maii 1880, et pro Gallia a S. Congr. Episc. et Regul. 30 jul. 1881.

professæ conveniat; nihilque superflui in ea sit, nihilque etiam quod sit necessarium, denegetur (1).

798 — Religiosi professi nequeunt testamentum condere, nec testamentum antea confectum mutare; incapaces enim facti sunt, sive ex voto paupertatis, sive ex voto obedientiæ, etiamsi ad episcopatum evecti sint, si non habeant speciale indultum papale.

799 — Hæc regula applicanda est etiam regularibus professis extra monasterium vel conventum, quocumque extraordinario eventu, viventibus (2).

800 — Per votum *obedientiæ*, religiosus abdicat propriam voluntatem, in iis quæ sunt secundum regulas et constitutiones ordinis, ita ut dicatur illum amplius non habere, *nec velle*, *nec nolle*.

801 — Inde sequitur religiosum non habere facultatem appellandi contra suos prælatos (3). Potest vero recurrere ad Superiorem aut ad Sanctam Sedem.

802 — Nullo modo, ratione voti obedientiæ, teneri possunt moniales ad propriam conscientiam superiorissæ pandendam. Permittitur tantum a S. Congregatione Episcoporum et Regularium ut sorores, si velint, manifestent defectus in regulæ observantia et progressus quoad virtutes. De cæteris agendum est tantum cum proprio confessario (4).

(1) Conc. Trid. eod. loco. Decretum S. Congr. Episcoporum et Regul. jussu Pii IX editum, 22 april. 1851. — (2) Responsio data a Leone XII, 26 jun. 1829. — (3) Cap. 32 tit. *De appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. — (4) Card. Bizzarri. Collectanea decretorum S. Congr. Episc. et Regul. Decretum *Quemadmodum* Cong. Ep. et Reg. 17 sept. 1890 et responsiones ejusd. Congr. 20 jan., 16 april., 18 aug. 1891 et 1 febr. 1892.

803 — Vota religiosorum sunt **solemnia** vel **simplicia**. Votum solemne invalidum et nullum reddit actum oppositum, quem votum simplex facit tantum illicitum.

804 — Differentia inter utriusque generis vota provenit ex voluntate Ecclesiæ, non autem ex natura promissionis aut donationis personalis in voto peractæ, neque ex formula externa emissionis ejusdem (1).

805 — Ut sit votum solemne, requitur constitutio Ecclesiæ, professio in religione et in domo ad hoc approbata et designata, et simultaneitas trium votorum religionis.

806 — Religiosi viventes extra claustrum, v.g. si fiant episcopi aut cardinales, tenentur observare regulas suæ religionis quæ materiam voti paupertatis determinant. Item tenentur alias observationes, dignitati et officio suo non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi adimplere qua tenebantur ante acquisitionem dignitatis suæ, ita tamen ut in peculiaribus casibus, prudenter judicium ferre possint utrum cum dignitate et officio eædem conveniant (2).

807 — Religiosus licite vivens in sæculo, vel obtinuit indultum sæcularizationis ad tempus vel ad perpetuum. In priori casu, remanet religiosus: sub-

(1) Cap. un. tit. *De voto et voti redemptione* XV, lib. III in VI. — (2) S. Cong. Episc. et Regul., 6 maii 1864, confirmata a Pio IX eod. die. Cfr. decret. Alexandri VII, 26 jul. 1662, et const. Benedicti XIII, *Postulat*, 4 mart. 1725. — Resp. S. Cong. Ep. et Reg. 6 maii 1864.

ditur Ordinario, in vim etiam sui voti obedientiæ, et bona quæ acquirit, cedunt monasterio. — Religiosus autem in perpetuum sæcularizatus debet retinere interius aliquod sui habitus signum, et observare substantialia votorum suæ professionis cum suo statu compatibilia, et sub obedientia Ordinarii, etiam in vim voti religiosi, vivere.

CAPUT IV

De lege clausuræ.

808 — Religiosis viris non prohibetur exitus a monasterio cum prælati licentia, sed subduntur excommunicationi Romano Pontifici simpliciter reservatæ mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliive eas admittentes (1).

809 — Non licet regularibus viris a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad suos superiores accedendi, nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero repertus fuerit sine hoc mandato in scriptis obtento, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti, puniatur (2).

810 — Monialibus autem prohibetur ne ipsæ

(1) Const. S. Pii V, *Regularium personarum*, 24 oct. 1566; Benedicti XIV, *Regularis disciplinæ*, 3 jan. 1742; Pii IX, *Apostolicæ Sedis* § II, nº 7. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 4 de Regul.; const. Clementis VIII, *Nullus omnino*, 20 mart. 1601, et Urbani VIII, *Sacra Congregatio*, 21 sept. 1624. — Cf. S. Cong. Ep. et Reg. 27 martii 1896, de religiosis mulieribus eleemosynas petentibus.

exeant a monasterio suo, et ne alii cujuscumque generis, conditionis, sexus vel ætatis, ingrediantur in earum monasteria (1).

811 — Subjiciuntur excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ, violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illis exeuntes, extra casus ac formam a S. Pio V, in const. *Decori* præscriptam (2).

812 — Nomine autem clausuræ, venit totum illud spatium quod continetur infra septa monasterii, sicut et horti et viridarii contigui, non autem capella aut sacristia.

813 — Potest existere clausura in monasterio votorum simplicium; non autem monasterium votorum solemnium absque clausura (3).

814 — Clausuræ custos est episcopus loci Ordinarius qui, ex mandato Concilii Tridentini, super hujus legis observatione vigilare tenetur (4).

(1) Const. S. Pii V, *Circa pastoralis*, 29 mai 1566, et *Decori*, 24 jan. 1570; cap. un. tit. *De statu regularium* XVI, lib. III, in VI.; Conc. Trid. sess. XXV. cap. 5 de Regul.; Cong. S. Officii, 22 dec. 1880. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis* § 2, n. 6. — (3) Const. Benedicti XIV, *Quamvis justo*, 30 april. 1749; S. Cong. Episc. et Regul. 24 sept. 1816, 6 dec. 1839, 13 jan. 1841 et 13 jan. 1843. — (4) Conc. Trid. sess. XXV. cap. 6 de Regul.; cap. un. *De statu monachorum* XVI, lib. III in VI.; Const. Gregorii XIII, *Deo sacris*, 30 dec. 1572, et *Dubiis*, 23 dec. 1581; Pauli V, *Facultatem*, 1 sept. 1608, et *Monialium*, 10 jul. 1612; Alexandri VII, *Felici*, 20 oct. 1664; Benedicti XIV, *Salutare*, 3 jan. 1742 et *Per binas*, 25 jan. 1747.

815 — Prælati ipsi non debent clausuram ingredi nisi in casibus necessariis, et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati (1).

816 — Episcopus vel Superior tantum dare potest licentiam frangendi clausuram, sed solummodo in casibus necessariis (2); nec alius ullo modo id valet, etiam vigore cujuscumque facultatis aut indulti concessi (3). Quoad autem monasteria exempta, licentia dari potest et ab episcopo et a Superiore, nisi contraria sit consuetudo (4).

CAPUT V

De privilegiis Regularium et de exemptione.

817 — Regularibus hoc concessum est quod omnia privilegia singulis ordinibus concessa, communicentur cæteris omnibus (5).

818 — Hæc communicatio currit de prælatis ad prælatos, de fratribus privatis ad fratres privatos;

(1) Const. Gregorii XIII, *Dubiis*, 23 dec. 1581, et Alexandri VII, *Felici*, 10 nov. 1644. — (2) S. Congr. Episc. et Regul. 16 jul. 1864. — (3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 5 de Regul.; const. S. Pii V, *Decori*, 24 jan. 1570; Gregorii XIII, *Deo sacris*, 30 dec. 1572, et *Ubi gratiæ*, 13 jun. 1575; Benedicti XIV, *Salutare*, 3 jan. 1742. — (4) Decretum S. Congr. Concilii approbatum ab Urbano VIII, 13 nov. 1620, et 21 maii 1621; S. Cong. Ep. et Reg. 16 julii 1884. — (5) Ex const. Julii II, *Inter cæteras*, 2 april. 1512; Leonis X, *Dudum*, 10 dec. 1519, et S. Pii V, *Circa pastoralis*, 29 mai 1566.

de conventibus ad conventus, de festivitate ad festivitatem, nisi privilegium sit proprium alicui religioni vel alicui ecclesiæ propter motivum speciale.

819 — **Exemptio** definiri potest : Privilegium quo aliqua communitas regularis aut sæcularis existens infra territorium alicujus jurisdictionis ordinariæ, ab eadem subtrahitur.

820 — Ad hoc instituta fuit, 1º ne regularium congregationum unitas dissolvatur; 2º ut iidem religiosi arctiori vinculo Sedi Apostolicæ uniantur; 3º ut sarta tectaque servetur disciplina in institutis religiosis ; 4º ut provideatur religiosorum tranquillitati et arceantur ab ipsis gravamina (1).

821 — Episcopi, neque pro tuenda observantia constitutionum, neque in iis quæ spectant ad administrationem bonorum, directe sese ingerere possunt, neque in Congregationibus votorum simplicium; sed, si abusus dignoscant, debent de his Sanctam Sedem certiorem facere (2).

822 — Hoc spectat specialiter ad instituta virorum; quoad autem instituta mulierum, facilior est ingerentia episcoporum (3).

823 — Exemptio non præsumitur, et monasterium episcopo subjectum remanet, donec probatum fuerit illud esse exemptum (4).

(1) Cf. Decretum Gregorii XVI, 25 jan. 1836. — (2) Cfr. const. Benedicti XIV, *Emanavit*, 27 feb. 1744. — (3) Const. Gregorii XV, *Inscrutabili*, 5 febr. 1622. — (4) Cap. 8 tit. *De religiosis domibus* XXXVI, lib. III Decretal.

824 — Hoc tamen privilegium non est absolutum, etiam pro religiosis votorum solemnium; et in plurimis casibus, episcopi procedere queunt erga religiosos, sive auctoritate ordinaria, sive tanquam delegati Sanctæ Sedis.

825 — Sic; regulares commorantes extra monasterium, etiam cum licentia Superioris, subduntur episcopo loci (1). Regularis degens in monasterio, sed delinquens notorie extra claustra, potest puniri ab episcopo, si id facere recusaverit Superior; et si pœnam inflixerit Superior, episcopus debet de hoc moneri (2).

826 — Religiosi qui impediunt exercitium jurisdictionis episcopalis, vel delinquunt in personam episcopi, possunt ab eodem puniri.

827 — Monasterium novum extrui nequit sine licentia episcopi. Monasteria vel conventus in quibus non morantur saltem sex religiosi subduntur episcopi jurisdictioni et visitationi (3).

828 — In omnibus quæ sunt ordinis episcopalis, ut in petitione chrismatis, in consecratione altarium etc., regulares subduntur episcopis, necnon et in illis quæ spectant ad curam animarum, ad prædicationem Verbi divini et ad munus parochiale.

829 — Relate ad moniales, episcopis tribuitur

(1) Conc. Trid. sess. VI. cap. 3 de Ref. — Pro regularibus a claustro expulsis, cf. Decretum S. Cong. Episc. et Regularium, 30 jul. 1881. — (2) Conc. Trid. sess. XXV. cap. 14 de Regul; Const. Clementis VIII, *Suscepti*, 23 febr. 1596. — (3) Const. Innocentii X, *Ut in parvis*, 10 febr. 1654 et *Instaurandæ*, 15 oct. 1652.

speciale munus vigilandi super observatione clausuræ et super administratione bonorum (1). Episcopus potest interesse cum Superioribus regularibus et præsidere electioni Abbatissæ. Illius est etiam explorare voluntatem puellarum ante susceptionem habitus religiosi et votorum emissionem.

830 — Controversias de præcedentia in cæremoniis publicis, componet episcopus, amota omni appellatione et nonobstantibus quibuscumque; — ad publicas processiones compelli possunt religiosi etiam exempti, illis tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt (2)

831 — Omnia monasteria et beneficia commendata visitari possunt ab episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis. Ipsi curare debent, etiam per sequestrationem fructuum, ut ea quæ renovatione indigent aut restauratione, reficiantur, et cura animarum aliaque obsequia rite exerceantur (3).

832 — In dubio exorto circa aliquod regularium privilegium, decisio spectat ad Romanum Pontificicem.

833 — Privilegio exemptionis regulares renuntiare non possunt, neque de eodem arbitros constituere (4).

834 — Exemptione gaudent non tantum professi

(1) Const. Gregorii XV, *Inscrutabili*, 5 febr. 1622. Videatur hac de re: S. Cong. Ep. et Regul. in causis *Canarien.* 9 avril 1895, *Lucionen.* 2 junii 1893 et 24 aug. 1894, et *Nanceien.* 27 martii 1896. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, cap 13 de Regul. — (3) Conc. Trid. sess. XXI cap. 8 de Ref. — (4) Cap. 5 tit. de *arbitris* XLIII, lib. I Decretal.

et conversi, sed etiam novitii et servi, qui actu vivunt sub obedientia et intra claustra (1). Episcopus autem supplere potest negligentiam abbatis non revocantis religiosum extra claustra degentem (2).

835 — Episcopus procedere potest etiam contra religiosos exemptos, in delictis quæ spectant ad administrationem sacramenti Pœnitentiæ et prædicationem Verbi divini (3).

836 — Subjiciuntur jurisdictioni ac correctioni episcopi monasteria quibus cura animarum adnexa est, in iis quæ ad eam curam animarum et ad sacramentorum administrationem pertinent (4).

837 — Regulares etiam exempti servare debent censuras et interdicta ab episcopo promulgata et dies festos ab eodem indictos ; — nec licet illis venerabile Sacramentum exponere publice, nisi ex causa publica ab episcopo approbata. Possunt autem pro causa privata, si sacra Hostia non extrahatur a tabernaculo, nec videre possit a populo (5).

838 — Quoad Congregationes votorum simplicium, exemptio a juribus parochialibus, videtur practice concedi valere ab episcopo, qui potest eadem jura transferre capellano vel eleemosynario, considerato tanquam delegato ab Ordi-

(1) Conc Trid. sess. XXIV, cap. 11 de Ref. — (2) Cap. 7 tit. *de Officio judicis ordinarii* XXXI, lib. I Decretal. — (3) Const. Gregorii XV, *Inscrutabili,* 5 febr. 1622. — (4) Const. Benedicti XIV *Firmandis,* 6 nov. 1744. — (5) S. Cong. Concilii, 17 aug. 1630 ; s. Cong. Rituum, 31 jul. 1635, 12 jun. 1638, 20 april. 1641 ; S. Cong. Episc. et Regul. 6 dec. 1602.

nario, cum facultatibus plus minusve extensis.

CAPUT VI

De electionibus penes Regulares.

---

839 — Ad electionem prælatorum regularium, præter statuta cujuscumque Congregationis, hæc sunt observanda: elector esse non potest nisi ille qui est professus, qui est in sacris ordinibus constitutus (1) et qui, in conventu cujus prælatus est eligendus, per tres menses immediate proximos fuit commoratus (2).

840 — Excluduntur laici nisi agatur de Ordine in quo sunt unice laici conversi; necnon et Mendicantes qui transierunt ad ordinem non mendicantium, etiam ex beneplacito Apostolico (3); et, per biennium, illi qui votum paupertatis violaverunt (4).

841 — Eligi non potest nisi ille qui in eodem Ordine professionem explicitam emisit; nec sufficit tacita (5).

842 — Inter moniales, eligere nequeunt nisi

(1) Clementina 2 tit. *de Ætate et qualitate præficiendorum* VI, lib. I. — (2) Cap. 32 tit. *de Præbendis* IV, lib. III in VI. — (3) Clementina un. tit. *de Regularibus* IX, lib. III. — (4) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 2 de Regul. — (5) Cap. 49 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. et Conc. Trid. sess. XXV, cap. 21 de Regul.

professæ, et post annum XVI ætatis suæ. Electio autem fieri debet per scrutinium, ita ut duæ ex tribus partibus suffragiorum conveniant in eamdem quæ sit expresse professa ab octo saltem annis, et expleverit annum XL (1).

843 — Potius eligi debet ea quæ sit de monasterio. Si autem in eo non reperiatur idonea, potest ex alia ejusdem ordinis domo assumi. Duobus vero monasteriis nunquam una præficiatur (2).

844 — In electione omnium Superiorum sive virorum sive mulierum, omnia fieri debent recte et sine ulla fraude. Nec licet etiam supplere vota et suffragia absentium (3).

845 — Electio fieri debet per scrutinium, exclusis modis inspirationis et compromissi. Vota debent esse secreta et eligentium nomina nunquam sunt publicanda (4).

CAPUT VII

De institutione Novi Ordinis et novæ domus religiosæ.

---

846 — Prohibitum est ne quis de cætero novam

(1) Cap. 43 tit. *de electione* VI, lib. I in VI; — Conc. Trid. sess. XXV, cap. 7 de Regul. — (2) Conc. Trid. ibid. — (3) Conc Trid. sess. XXV, cap. 6 de Reg.; const. Innocentii XII, *Christifidelium,* 16 febr. 1694 et Innocentii XIII, *Apostolici,* 23 maii 1723. — (4) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 6 de Regul.

religionem inveniat (1). Hæc prohibitio est sub pœna nullitatis, nec totam vim obtinent vota emissa in religione non approbata (2).

847 — Ideo, sodalitas quæcumque dici non potest ordo religiosus nec etiam Congregatio, dum deficit auctoritas Sanctæ Sedis, etiamsi approbaret episcopus.

848 — Hæc est methodus usitata apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium, in approbandis novis institutis:

1º Exhibitis litteris commendatitiis antistitis locorum, et relatione facta ab episcopo in cujus diœcesi prima fundatio vel domus præcipua sita est, *laudatur* finis seu scopus fundatoris vel instituti;

2º Post congruum tempus, *decretum laudis* instituto conceditur;

3º Constitutiones approbantur, sed postquam experientia confirmatæ sunt et reformatæ juxta animadversiones factas. Primum, hæc approbatio datur ad triennium vel ad quinquennium, et demum in forma definitiva.

849 — Jussit etiam Pius IX tales postulationes, in posterum, Summo Pontifici referendas esse, antequam quidquid a Congregatione agatur.

850 — Ad novi conventus votorum solemnium

(1) Cap. ult. tit. *De religiosis domibus* XXXVI, lib. III Decretal. et cap. un. ejusd. tit. XVII, lib. III in VI. — (2) cfr. Extrav. Joannis XXII *De religiosis domibus*. VII.

erectionem, exigitur beneplacitum Apostolicum sine quo non potest esse exemptio aut clausura (1).

851 — Ad hoc etiam requiritur episcopi licentia nisi expresse dispenset Sancta Sedes (2).

852 — Videtur episcopos teneri ad monendum et audiendum sive superiores religiosorum jam in eodem loco existentium, sive parochos, sive etiam populum loci (3).

853 — Reducere autem monasterium ad statum clericorum sæcularium propter defectum religiosorum, hoc amplius non competit episcopis sed est Romano Pontifici reservatum (4).

(1) Const. Clementis VIII, *Quoniam*, 23 jul. 1603; Gregorii XV, *Cum alias*, 17 aug. 1622; Innocentii X, *Instaurandæ*, 15 oct. 1652. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 3 de Regul.; — (3) Const. Gregorii XV, *Cum alias*, 17 aug. 1622. — (4) Const. Innocentii X, *Inter cætera*, 17 dec. 1649 et *Instaurandæ*, 15 octobris 1652.

TRACTATUS SECUNDUS

DE REBUS.

854 — Nomine *rerum* intelligimus media quibus personæ utuntur ad finem Ecclesiæ attingendum. Quidquid igitur spectat ad jus canonicum, extra personas et judicia, id comprehenditur nomine rerum.

855 — Res ecclesiasticæ sunt *spirituales* vel *temporales.*

856 — Res spirituales illæ sunt quæ ad hominum salutem directe referuntur. Sunt vel res *spirituales* proprie dictæ, vel res *sacræ,* vel res *religiosæ*

857 — Res spirituales proprie dictæ sunt prædicatio Verbi divini et sacramenta, quæ examinanda sunt sive in genere sive seorsim.

858 — Res sacræ illæ sunt quæ Deo sunt consecratæ, id est ecclesiæ, sacra supellex, campanæ, reliquiæ et imagines Sanctorum.

859 — Res religiosæ illæ sunt quæ instituuntur cum interventu actuum religiosorum, ut sunt : instituta beneficientiæ et educationis, et cœmeteria.

860 — Res temporales sunt bona temporalia et præsertim beneficia.

LIBER PRIMUS

DE REBUS SPIRITUALIBUS PROPRIE DICTIS.

CAPUT I

De prædicatione Verbi divini.

---

861 — Existit præceptum divinum de Verbo Dei prædicando. Dixit enim Christus: Euntes docete omnes gentes (1).

862 — Statuit Concilium Tridentinum ea quæ necessaria sunt ad hoc ut istud præceptum divinum rite observetur.

863 — Omnes episcopi, archiepiscopi, primates et cæteri omnes prælati ecclesiastici tenentur per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum J. C. Evangelium. Si autem legitimo detineantur impedimento, tenentur ad hoc alios idoneos assumere (2).

864 — Archipresbyteri, plebani et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, debent pascere salubribus verbis plebes sibi commissas per se, vel,

(1) Math. XXVIII, 19. —(2) Conc. Trid. sess. V, cap. 2 de Ref.

si impediti fuerint, per alios idoneos, diebus saltem dominicis et festivis (1).

865 — Debent docere ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et annuntiare cum facilitate et brevitate sermonis vitia quæ eos declinare et virtutes quas sectari oportet (2).

866 — Non tantum episcopi sed et parochi explicare debent vim et usum sacramentorum, etiam lingua vernacula, si opus sit, et explanare monita salutis et sacra eloquia inter missarum solemnia et divinorum celebrationem (3).

867 — Nulla ecclesia, sub hoc respectu, eximitur a pastorali sollicitudine episcoporum (4).

868 — Qui negligentes fuerint circa hoc officium fungendum per spatium trium mensium et moniti fuerint ab episcopo, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad arbitrium episcopi, cogantur (5).

869 — In ecclesiis parochialibus regularium quæ nullius sunt diœcesis, prælati regulares cogi possunt a metropolitano provinciæ in qua tales existunt ecclesiæ, et, in hoc, non admittitur exemptio (6).

870 — Regulares prædicare non possunt in ecclesiis suorum ordinum, nisi fuerint a Superioribus suis de vita, moribus et scientia examinati et approbati (7). — Episcopi autem possunt in omnibus ecclesiis suæ diœcesis prædicare etiam in illis

(1) Ibid. — (2) Ibid. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, Cap. 7 de Ref. — (4) Conc. Trid. sess. V, cap. 2 de Ref. — (5) Ibid. — (6) Ibid. — (7) Ibid.

quæ sunt religiosorum exemptorum, et a nemine prohiberi possunt (1).

871 — In ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt, religiosi tenentur habere, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam licentiam episcopi (2); quo contradicente, prædicare nequeunt, neque etiam in ecclesiis suorum Ordinum.

872 — Caveant episcopi ne aliquem prædicare permittant sive regularem sive secularem qui ipsis notus non sit, et moribus atque doctrina probatus etiam quorumlibet privilegiorum prætextu (3).

873 — Episcopus potest procedere contra prædicatorem qui errores vel scandala disseminat, etiamsi prædicet in monasterio sui vel alterius Ordinis; et si hæreses prædicaverit, episcopus potest et debet procedere contra illum; nec datur in hoc exemptio aut privilegium. Procedat tunc episcopus apostolica auctoritate tanquam Sanctæ Sedis delegatus (4.)

874 — Episcoporum est docere suos diœcesanos non solum verbo sed etiam scriptis per publicationem Catechismi. In votis est Ecclesiæ ut, hac in re, uniformitas habeatur formulæ et instructionis. (5).

(1) Cf. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. IX, cap. 17 nº 7. — (2) Conc. Trid. sess. V, cap. 2 de Ref., et sess. XXIV, Cap. 4, de Ref.; Const. Gregorii XV, *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 et Clementis X *Superna*, 21 jun. 1670. — (3) Conc. Trid. sess. V, cap. 2. de Ref. — (4) Ibid. — (5) Const. Benedicti XIV, *Etsi minime*, 7 feb. 1742 et Pii IX, *Nostis*, 8 dec. 1849.

CAPUT II

De Sacramentis in genere.

875 — Sacramentum Novæ Legis definitur: invisibilis gratiæ sensibile signum, ad gratiam conferendam, institutum a D. N. Jesu Christo.

876 — Sacramenta constant ex materia et forma, siquidem « accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum » (1).

877 — Sacramenta Novæ Legis sunt numero septem, scilicet: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium (2).

878 — Illa Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato. Tria ex illis, scilicet, Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem indelebilem.

879 — Ministri Sacramentorum gerunt personam Christi et sacramenti efficacia minime pendet **a** probitate administrantis. Ideo Sacramenta ab hæreticis, schismaticis et excommunicatis collata, valent, illis exceptis in quibus conferendis, præter Ordinis characterem potestas jurisdictionis in ministro requiritur.

(1) S. Augustinus, tract. 80 in Joan. — (2) Conc. Trid. sess. VII, can. 1.

880 — Ministri sacramentorum agere debent humano modo et saltem cum intentione faciendi quod facit Ecclesia (1). In ministro Sacramenti requiritur intentio actualis vel virtualis; in suscipiente autem sufficit intentio habitualis vel interpretativa.

881 — Ecclesia nequit nova Sacramenta proprie dicta instituere, nec illorum numerum imminuere.

882 — Ecclesia non potest substantialiter mutare ea quæ statuit Christus Dominus relate ad Sacramentorum materiam, formam, ministrum et subjectum.

883 — Ecclesia potest definire quænam sit Sacramentorum materia et forma præstitutis a Christo Domino.

884 — In casibus dubiis, sive dubium sit de jure sive de facto, Ecclesiæ solius est judicare de validitate aut de liceitate sacramenti.

885 — Ipsa potest statuere sub pœna peccati plus minusve gravis circumstantias ætatis, temporis, loci in quibus licet conficere et recipere sacramenta.

886 — Ipsius est determinare cæremonias et ritus qui in solemni Sacramentorum administratione sunt adhibendi, ita ut, in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, statuere vel mutare queat, ea quæ suscipientium utilitati ac ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, locorum varietate, magis expedire judicat (2).

(1) Ibid. — (2) Conc. Trid. sess. XXI. cap. 2.

887 — Ecclesia instituere valet ritus qui dicuntur Sacramenta improprie dicta vel potius *Sacramentalia*, quæ etiam gratiam quodam modo producunt, sed indirecte, et modo penitus diverso ab actione Sacramentorum quæ sunt divinæ institutionis.

CAPUT III

De Baptismate.

---

888 — Baptisma est Sacramentum Novæ Legis quo deletur peccatum originale, et homo spiritualiter regeneratur et fit christianus.

889 — Cum Baptisma sit sacramentum maxime saluti necessarium, infantes quamprimum baptizari debent, et terminus præfiniri debet genitoribus, quorum conscientia hac de re graviter oneratur (1).

890 — Materia Baptismi est aqua vera et naturalis, et nullus alius liquor (2). Extra casum necessitatis, ad liceitatem Baptismi requiritur ut administretur cum aqua prius benedicta in Sabbato Sancto et in vigilia Pentecostes. Si autem ista deficiat, in casu necessitatis, Baptismus dandus est cum aqua naturali, potiusquam cum aqua simpliciter benedicta (3).

891 — Benedictio aquæ baptismalis semper fieri

(1) Const. Benedicti XIV, *Omnium sollicitudinum*, 12 sept. 1744 — (2) Cap. 5 tit. *de Baptismo* XLII, lib. III Decretal. — (3) Cong. S. Officii 6 april. 1741 et 17 april. 1839.

debet in Vigiliis Paschatis et Pentecostes, non obstante quacumque consuetudine contraria, quæ eliminari debet (1).

892 — Baptisma administrari debet sive per immersionem, sive per aspersionem, sive per effusionem, juxta modum actualiter adoptatum in singulis ecclesiis. Necessario fieri debet quædam ablutio, et ideo invalidum est Baptisma si aqua detur ad bibendum (2).

893 — Forma Baptismi consistit in pronuntiatione nominis trium personarum SS^mæ Trinitatis, post mentionem factam personæ quæ baptizat, personæ quæ baptizatur et actionis quæ sic exercetur (3).

894 — Non valet Baptisma collatum in nomine unius ex personis divinis (4). Valet autem quocumque idiomate utatur minister, etiamsi formulam, modo prorsus barbaro, pronuntiet. Sic valet baptisma collatum cum formula : in nomine Patria et Filia et Spirita Sancta (5).

895 — Non valet Baptisma collatum cum formula : In nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti ; neque in nomine solius Christi (6), neque tantum in nomine Domini (7).

(1) S. Cong. Rit. 13 april. 1874, 26 dec. 1826 et 31 jan. 1896, prohibens dilationem distributionis SS. oleorum. — (2) Ead. 8 nov. 1770. — (3) Cap. 1 tit. *de Baptismo* XLII, lib. III, Decretal. ; Decreta S. Congr. de Propaganda fide, 13 mai 1817, 23 jun. 1840, 11 sept. 1841, 2 jun. 1850, 11 mart. 1868. — (4) Can. 83 dist. IV, 3ª parte Decreti. — (5) Can. 86 ejusd. dist. — (6) Can 82 ejusd. dist. — (7) Can. 30 ejusd. dist.

896 — Validum est Baptisma collatum ab hæreticis (1). Idem dicendum est de Baptismo collato a schismaticis, apostatis et peccatoribus, quod nunquam reiterari debet (2).

897 — Nemo potest baptizare seipsum (3). Episcopi presbyteri et diaconi sunt ministri Baptismi solemnis. Baptismum autem privatim conferre possunt cæteri clerici, laici et etiam mulieres et infideles. Sed hoc facere non debent nisi in casu necessitatis (4).

898 — Baptizari possunt non tantum adulti qui id postulant post præparationem et scientiam adeptam sufficientem, sed etiam parvuli qui actum credendi non habent, nec isti sunt rebaptizandi cum ad annos discretionis perveniunt. Nec etiam præstat eorum omitti baptisma, quam eos non actu proprio credentes, baptizare in solo actu fidei Ecclesiæ (5). Imo baptisma neo-natorum nunquam differri debet (6).

899 — Baptizari debet absolute fœtus abortivus, qui præ se fert speciem humanam. Sub conditione, *si capax es*, baptizari debet quicumque fœtus etiam monstruosus, licet nulla membra appareant.

900 — In casu necessitatis, dari debet etiam

(1) Conc. Trid. sess. VII, can. 4; can. 28, 32, 40, 44 et 51 dist. IV, 3ª Parte Decreti. — (3) Cap. 6 tit. *de Baptismo* XLII, lib. III Decretal. — (3) Cap. 4 ejusd. tit. — (4) Can. 19, 21, 22 et 36 dist. IV, 3ª parte Decreti. — (5) Conc. Trid. sess. VII, can. 13 de Bapt. — Cfr. cap. 3 tit. *de Baptismo* XLII, lib. III Decretal et decretum S. Officii, 30 martii 1898. — Ritus baptismi parvulorum observandus est pro pueris qui baptizantur ante primam communionem, seu ante ætatem 14 annorum. — (6) Const. Eugenii IV, *Cantate Domino*, 4 febr. 1441.

Baptisma infanti intra uterum matris existenti.

901 — Fieri debet operatio cæsarea ad procucurandum infanti baptisma, quoties dubium non est de vita ejus, et quando matri non est nimium mortis periculum (1).

902 — Filii infidelium vel hæreticorum baptizari possunt quando amentes sunt a nativitate et nulla est spes ut deinde ratione fruantur (2).

903 — Baptizari possunt, etiam invitis parentibus, infidelium filii adulti qui Baptismum desiderant. Adultus autem censetur, hac in re, qui septennium complevit, regulariter loquendo (3).

904 — Non debent admitti ad Baptismatis aquas adulti, si bene edocti non fuerint obligationes quibus unusquisque fidelis ligatur et nisi, mediante longa experientia in Cathecumenatu, dederint clara signa veræ fidei et constantiæ qua præditi esse debent (4)

905 — Non licet, nisi in articulo mortis, infidelium filios baptizare, invitis vel insciis parentibus (5).

906 — Non licet, extra periculum mortis, infantes infidelium, etiam a parentibus oblatos, baptizare, si

(1) Cf. responsio S. Officii, 15 febr. 1780. — (2) Cf. responsio S. Officii, 8 mart. 1770 et S. Cong. de Propag. fide, 17 april. 1777. — (3) S. Cong. de Propag. fide, 3 mart. 1703; S. Cong. Concilii, 16 jul. 1639; const. Benedicti XIV, *Postremo mense*, 28 febr. et *Probe te*, 15 dec. 1751. — (4) S. Cong. de Prop. fide, anno 1760. Ead. 7 sept. 1626, 12 sept. 1645, 10 maii 1703, 14 maii 1703, 20 sept. 1845 ; const. Benedicti XIV, *Postremo mense*, 28 feb. 1747; Cong. S. Officii, 1 april. 1898. — (5) Cong. S. Officii, 1 nov. 1678, 18 febr. 1705, 4 maii 1853; S. Cong. de Propag. fide, 15 mart. 1770 ; const. Benedicti XIV, *Postremo mense*, 28 febr. 1747 et *Probe te*, 15 dec. 1751 ; S. Cong. de Propag. fide, 18 julii 1892.

deinde in potestate infidelium sint derelinquendi (1).

907 — In hoc casu, si baptismum est conferendum, etiam in articulo mortis, vitandum est scandalum (2)

908 — Licite baptizari possunt infidelium infantes si illorum parentes sint servi, vel jure capti, vel si alteruter parentum id postulet (3); et etiam, si infans fuerit expositus et receptus in hospitio christiano.

909 — Quod dictum est de filiis infidelium, applicandum est filiis hæreticorum aut schismaticorum (4).

910 — Baptismus certo collatus nunquam reiterari debet. Hoc fieri non potest etiam sub conditione, leviter, et nisi vera appareant argumenta de invaliditate Baptismi (5).

911 — Ad probationem Baptismi unus testis sufficit, dummodo nihil occurat quod illius testimonio detrahat (6). Imo, illi qui ex parentibus christianis nati sunt et ab iis christiano more educati fuerunt, præsumuntur omnino fuisse baptizatos, etiamsi scriptum non existet testimonium (7).

(1) Const. Benedicti XIV, *Probe te*, 15 nov. 1751; cong. S. Officii, 3 mart. 1703, 18 febr. 1705, 3 maii 1803; S. Cong. de Propag. fide, 31 jan. 1796. — (2) Decretum S. Cong. . . . 1637. — (3) Decreta S. Officii, 12 oct. 1600, 17 sept. 1671, 29 nov. 1672; const. Benedicti XIV, *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744. — (4) S. Cong. de Prop. fide, 17 april. 1777. — (5) Cap. 2, tit. *de Baptismo* XLII, lib. III Decretal.; S. Cong. Concilii, 12 jul. 1794, 11 febr. 1797, 24 aug. 1823, 8 maii 1824, 24 maii 1873; Cong. S. Officii, 5 april. 1859, 18 dec. 1872. — (6) Cf. Bened. XIV *de Synodo*, lib. VII cap. 6 et const. *Postremo mense*, 20 febr. 1747. — (7) S. Cong. de Propag. fide, 30 sept. 1848.

912 — Illi, de quorum baptismi validitate dubitatur haberi debent ut christiani, etiam relate ad valorem matrimonii (1). In hoc casu, baptismus dubius est sub conditione et secreto iterandus, absque ullo matrimonii præjudicio (2).

913 — Quando convertuntur hæretici, inquirendum est de validitate baptismi eorum. Si sedula investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut si adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, sub conditione et secreto baptizentur (3).

914 — Ab hæreticis conversis, qui sub conditione iterum baptizantur, exigitur integra peccatorum confessio, ita ut, collato Baptismo, sub conditione absolvantur (4).

915 — Ritus descripti in Rituali Romano antiquissimi sunt, et ideo nequeunt despici nec omitti absque gravi motivo (5).

916 — Si cæremoniæ omissæ fuerint, primo quoque tempore eas supplere curandum est, et, sine gravi peccato, non sunt negligendæ (6).

(1) Cong. S. Officii, 17 nov. 1830, 20 jul. 1840, 5 feb. 1851, 9 sept. 1868, 7 jul. 1888; S. Cong. Concilii, 20 mart 1880. — (2) Cong. S. Officii, 29 sept. 1734 et 4 mai 1737; S. Cong. Concilii, 27 maii 1796. Cfr. etiam Cong. S. Officii, 1 aug. 1883. — (3) Cong. S. Officii, 20 nov. 1878, 21 febr. 1884. Cf. 20 jul. 1859, 20 nov. 1878 et 21 febr. 1883. — (4) Decretum Clementis IX, in Cong. S. Officii, 17 jun. 1713, et responsio ejusd. Cong. ad Synodum Westmonasteriensem, 17 dec. 1868 et 2 dec. 1874. — (5) Can. 61 et seqq., 88 et seqq. dist. IV, 3a parte Decreti, et const. Benedicti XIV, *Omnium sollicitudinem*, 12 sept. 1744; Cong. S. Officii, 12 feb. 1851; S. Cong. de Prop. fide, 7 sept. 1626, 12 sept. 1645 et 13 nov. 1669. — (6) Const. Benedicti XIV, *Inter omnigenas*, 2 feb. 1744.

917 — Si baptisma fuerit collatum infanti, cæremoniæ suppleri debent juxta ritum pro baptismo infantium, etiamsi ille factus fuerit adultus. — Si autem adultus ab hæresi conversus baptizandus est iterum sub conditione, cæremoniæ adhiberi debent quæ pro adultis indicantur in Rituali (1).

918 — Retinendus est usus patrini et matrinæ in Baptismi solemnis collatione, et inscribi debent nomina eorum sicut et baptizati et ejusdem parentum in libro apud parochum asservando. — Non debent plurimi esse patrini; sed unus tantum sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum de fonte suscipiant (2).

919 — Infideles non possunt esse patrini filiorum catholicorum, nec etiam excommunicati vitandi (3), hæretici et suspecti de hæresi, infantes et etiam religiosi (4), infames et ignorantes rudimenta fidei. Nec, vice-versa, catholici possunt esse patrini filiorum acatholicorum.

920 — In administratione Baptismi, interrogationes quibus patrinus respondere debet, fieri non possunt lingua vernacula, nec interrogatio latino sermone facta transferri potest in idiomate vulgari (5).

921 — Baptisma administrari debet in ecclesia et

(1) S. Cong. Rituum, 27 aug. 1836. — Cap. 3 tit. *De cognatione spirituali* III, lib. IV in VI. — (3) Cap. 15 et 29 tit. *De Sententia excommunicationis* XXXIX, lib. V Decretal. — (4) Can. 103 et seqq. dist. IV, 3a parte Decreti; Cong. S. Officii, 3 maii 1893. — (5) S. Cong. Rituum, 12 sept. 1847 et 31 aug. 1867.

non in aulis, vel cameris, vel privatis domibus (1). Si autem, in casu necessitatis, Baptisma domi sit conferendum, sola aqua est infundenda, et omnes alii ritus deinde in ecclesia supplendi (2).

922 — Per Baptismum, homo fit subditus omnibus præceptis Ecclesiæ et debitor non tantum fidei, sed totius legis Christi servandæ (3).

CAPUT IV

De Confirmatione

---

923 — Confirmatio est sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum ad firmandos baptizatos in fide et ad illos perfectos Christianos reddendos.

924 — Materia hujus sacramenti est chrisma confectum ex oleo et balsamo et ab episcopo benedictum. Administratur per unctionem hujus chrismatis in fronte peractam et per impositionem manuum episcopi.

925 — Forma in usu apud Latinos est : « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » : apud Græcos vero : « Signaculum doni Spiritus Sancti ».

926 — Solus episcopus est ordinarius minister

(1) Clementina unica, tit. *De Baptismo* XV, lib. III. — (2) S. Cong. Rituum, 23 sept. 1820. — (3) Conc. Trid. sess. VII, can. 7 et 8.

Confirmationis (1). Hoc sacramentum vero administrare potest simplex sacerdos ex potestate sibi facta a Romano Pontifice.

927 — Presbyter qui ad hoc recepit facultatem, confirmationem administrare debet cum chrismate per catholicum antistitem consecrato (2), et absque pontificalibus insignibus (3).

928 — Episcopus non debet conferre hoc sacramentum nisi suis diœcesanis et in territorio suo; alioquin illicite agit, nisi obtinuerit licentiam Ordinarii hujus personæ aut hujus loci (4).

929 — Capaces sunt sacramenti Confirmationis recipiendi omnes homines baptizati, et etiam amentes et infantes. Sed maxime convenit differre ejusdem susceptionem usque ad annum septimum (5). Licite autem confirmantur infantes in periculo mortis (6).

930 — Certum est grave esse peccatum negligere receptionem sacramenti Confirmationis, præsertim ex contemptu et cum scandalo.

931 — Pueri, antequam confirmentur, sufficienter doceri et examinari debent de doctrina fidei, et præsertim de iis quæ ad hoc sacramentum pertinent.

932 — Conferri debet hoc sacramentum cum ri-

(1) Conc. Trid. sess. VII, can. 3. de Conf.; Cf. can. 4 dist. V, 3a parte Decreti. — (2) Const. Benedicti XIV, *Ex quo*, 1 mart 1756. — (3) S. Cong. de Prop. fide, 21 mars 1774; Pius IX, 30 mart. 1851. — (4) Conc. Trid. sess. VI, cap. 5 de Ref.; S. Cong. Concilii, 28 nov. 1602. — Catechismus Romanus, n. 18; Const. Benedicti XIV, *Eo quamvis*, 4 maii 1745. Cf. epist. SS. Leonis XIII ad ep. Massiliensem, 22 junii 1897.

tibus descriptis in Pontificali et Pontifex induere debet vestes episcopales. De essentia sacramenti videtur esse ut unctio fiat in fronte, in forma crucis et per manum episcopi ministrantis.

933. — Adhiberi debent patrinus et matrina in Confirmatione, aut saltem unus ex illis (1).

934. — Nomina patrinorum et confirmatorum debent conscribi et retineri in registro a parochis diligenter asservando.

CAPUT V

De Eucharistia.

SECT. I — DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

935 — Eucharistia nobilissimum est sacramentum per quod ipsum Corpus et Sanguinem Christi recipimus, sub specie panis et vini, Deique gratia miris modis augemur, modo illud rite recteque sumamus.

936 — Materia hujus sacramenti duplex est : panis scilicet et vinum, quæ efficiuntur corpus et sanguis Christi per illam mirabilem operationem, quam vocamus transsubstantiationem

937. — Vinum debet esse verum vinum ex vite (2); panis autem triticeus. Azymo utitur Ecclesia latina ; græca autem fermentato. Uterque panis valide con-

(1) S. Cong. Concilii. 16 febr. 1884. — (2) Resp. Cong. S. Officii, 30 julii 1890, de qualitate vini ad missam adhibendi.

secratur, sed uniuscujusque Ecclesiæ propria consuetudo debet observari.

938 — Panis consecrandus debet esse, apud Latinos, majoris vel minoris formæ, pro sacerdote scilicet et pro fidelibus. — Ex præcepto gravi, vinum debet misceri cum quadam aquæ quantitate, quæ tertiam partem vini æquare nequit (1).

939 — Verba consecrationis proferri debent distincte et exacte, prout inscribuntur in Missali.

940 — Solus sacerdos minister est consecrationis eucharisticæ. Plures vero possunt simul conficere Eucharistiam, ut fieri solet apud Græcos, et etiam apud Latinos in consecratione episcoporum et in ordinatione presbyterorum.

941 — Presbyter ordinarie et diaconus extraordinarie, ministri sunt distributionis Eucharistiæ. Jus quidem speciale inesse videtur de hoc episcopis et parochis. Sed jus exclusivum parochorum restrictum videtur nunc communioni paschali, quæ in ecclesia parochiali facienda est (2), administrationi Viatici (3), et probabilius primæ communioni a pueris solemniter celebratæ (4).

942. — Excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatæ incurrunt religiosi præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum Eucharistiæ in Viatico

(1) Can. 1 et seqq. dist. II, 3ª parte Decreti. — (2) Cap. 12 tit. *De Pœnitentiis et Remissionibus* XXXVIII, lib. V Decretal. — (3) Cap. 10 tit. *De Celebratione Missæ* XLI, lib. III Decretal. et Clementina 1ª tit. *de Privilegiis* VII, lib. V. (4) Cf. causa *Annecien.* coram S. Cong. Concilii, 21 julii 1888.

ministrare, absque parochi licentia (1). Excipiendus est casus quo Viaticum præbent religiosi familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus (2).

943 — Olim Eucharistiam dare licebat etiam infantulis statim post baptisma. Latini vero ab hac consuetudine recesserunt. Apud illos nunc viget usus ut pueri participes non sint communioni, nisi in ea mente et ætate sint ut vim intelligant Sacramenti : quod a parentibus, sed potius a parocho est dijudicandum.

944 — Eucharistia sumenda non est nisi ab illis qui omnino jejuni sunt a media nocte, exceptis ægrotis, quibus datur Viaticum. Hoc est ecclesiasticum præceptum, sed strictum, ita ut solus Papa dispensare queat (3).

945 — Fideles qui olim communicabant quoties Sacrificio assistebant, nunc semel in anno, tempore Paschatis, Eucharistiam recipere tenentur ex præcepto ecclesiastico et gravi (4).

946 — Quando Eucharistia deferenda est infirmis, hoc fieri debet manifeste et honorifice, nisi in casu necessitatis et post acceptam episcopi licentiam (5).

947 — Eucharistiam conservare permittit et jubet

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, § II, n. 4. — (2) Clementina ead. ; Const. Gregorii XIII, *Circumspecta*, 25 nov. 1580 ; S. Cong. Concilii, 21 jan. 1713, 17 febr. 1749 et 17 sept. 1822. — (3) Can. 49 et 50 dist. I, et can. 54 dist. II, 3ª parte Decreti. — (4) Can. *Utriusque Sexus*, Concilii Lateranensis IV ; Conc. Trid. sess. XIII, can. 9. — (5) Const. Benedicti XIV, *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744 ; S. Cong. de Propag. fide, 27 febr. 1833.

usus in Ecclesia antiquissimus. Huic Sanctissimo Sacramento exhiberi debet veneratio quæ Deo ipsi convenit. Jure igitur institutum est festum Corporis Christi, et exponitur solemniter Hostia consecrata, quæ colitur per genuflexiones, lampadem accensam et processiones (1).

948 — Hostiam eucharisticam licet populo exponere in ostensorio vel in pyxide. — Expositio in ostensorio fieri non potest nisi ex causa publica ab episcopo probata, etiam in ecclesiis regularium quæ in hoc immunes non sunt a jurisdictione episcopi. — Ex causa autem privata licet, absque interventu Ordinarii, exponere sanctissimum Sacramentum dummodo illud non extrahatur a tabernaculo et Hostia consecrata non appareat (2).

949 — Tabernaculum in quo Sanctissimum asservatur, debet esse ligneum, exterius deauratum; intus vero aliquo panno albo et serico contectum (3). Supra illud reponendæ non sunt Sanctorum imagines, nec reliquiæ etiam Sanctæ Crucis, ne ipsum tabernaculum istis pro basi habeatur (4).

950 — Tabernaculum debet esse collocatum in medio altari (5), et coopertum conopeo, ex panno quolibet decenti et coloris, sive albi, sive officii di-

(1) Cap. 10 tit. *De Celebratione Missarum* XLI, et cap. 2 tit. *de Custodia Eucharistiæ* XLIV, lib. III Decretal.; Const. Bened. XIV, *Quamvis justo*, 30 april. 1749; S. Cong. Rituum, 8 mart. 1879 et 28 jan. 1899. — Resp. S. Cong. Rituum, 9 jul. 1884, de oleo olivarum comburendo coram SS^mo^ — (2) S. Cong. Concilii, 17 aug. 1630. — (3) S. Cong. Episc. et Regul. 26 oct. 1575. — (4) S. Cong. Rituum, 12 mart. 1836 et 6 sept. 1845. — (5) S. Cong. Rituum,... 1843.

urni, præter colorem nigrum (1). Ejusdem clavis a nemine nisi a sacerdote est detinenda.

951 — Sanctissimum Corpus Christi servari non debet intra chorum et infra septa monasterii monialium, sed in ecclesia publica (2).

Sect. II — de sacrificio eucharistico.

952 — Non solum sacramenti rationem habet Eucharistia, sed etiam sacrificii: imo, unicum est sacrificium Novæ Legis. Cæremoniarum complexus quibuscum offertur hoc verum et incruentum sacrificium, repræsentans et continuans immolationem Christi in cruce, dicitur **Missa**.

953 — Ritus et preces qui adhibentur in Missa, antiquissimi et venerabiles sunt. Sed non eadem fuit hac de re disciplina. Inde plures pro varia temporum et locorum ratione, exortæ sunt liturgiæ, quas approbat et conservari vult Ecclesia (3).

954 — In Oriente quidem celebriores fuerunt liturgiæ S. Basilii et S. Joannis Chrysostomi, sicut et juxta diversos ritus, liturgia græca, armena, Maronitarum, Syrorum etc. In Occidente vero viget non tantum liturgia Romana, sed Ambrosiana, Gallicana, Hispanica seu Mozarabica, sicut et plurium Ordinum religiosorum.

955 — In his ritibus et liturgiis, omnia sunt in-

(1) S. Cong. Rituum, 21 jul. 1855. — (2) Conc. Trid. sess XXV, cap. 10. — (3) Decretum S. Cong. Rituum, 9 julii 1895, de celebratione in ecclesia aliena. — Litteræ apost. SS. Leonis XIII, pridie Kal. dec. 1894, *Orientalium dignitas*. — Decreta de missis pro defunctis, 19 maii 1896 et 12 jan. 1897.

stituta ut majestas tanti sacrificii commendetur, et mentes fidelium, per hæc visibilia religionis ac pietatis signa, ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur. Inde aliquando præcipitur, aut aliquando permittitur usus luminum, incensi, vestium sacrarum, cantus, etc. (1).

956 — In his accurate servari debent regulæ liturgicæ. Si vero licet aliquid facere quod sit præter istas leges, vitari debet id omne quod sapit novitatem; maxime vero id omne quod videri posset indecens aut indecorum, id omne præsertim quod nimis simile appareret repræsentationibus scenicis.

957 — Non licet Græcis latino more et Latinis Græcorum ritu Missas et alia divina officia celebrare (2).

958 — Justissime egit Ecclesia quando jussit Missam celebrandam esse idiomate antiquo, latino scilicet in Occidentis regionibus. Ab hoc dicendi modo desistere non licet, nec etiam Missæ sacrificio admiscere preces aut cantica in lingua vulgari (3).

959 — Latini quotidie celebrant, excepta tantum feria VI et quadamtenus feria V et Sabbato Majoris Hebdomadæ. Græci vero omittunt celebrationem Missæ per totam Quadragesimam in qua dicunt missam præsanctificatorum, sicut et nos in Paras-

— (1) Cfr. Conc. Trid. sess. XXII, de sacrificio Missæ, cap. 5 — (2) Const. S. Pii V, *Providentia*, 20 aug. 1566. — (3) S. Cong. de Propag. fide, 7 jan. 1755 et 15 sept. 1759.

ceve. Excipiuntur tamen dies Sabbati et Dominicæ et festum Annuntiationis B. M. Virginis.

960 — Semel tantum in die, excepto festo Natalis Domini, celebrare licet unicuique sacerdoti, nisi id expostulet necessitas (1).

961 — Concedi non potest facultas bis celebrandi nisi intuitu præcepti adimplendi a fidelibus; ideo hoc fieri non debet nisi diebus dominicis aut festivis de præcepto (2). Hæc duplex celebratio peragi non debet ab eodem sacerdote sub eodem tecto (3). Nunquam licet eidem sacerdoti tres missas eadem die celebrare (4).

962 — Non est permittenda celebratio duarum missarum eadem die, in festis suppressis quæ de præcepto non sunt (5), neque in privatis capellis, neque propter consuetudinem (6), nec ratione paupertatis presbyterorum (7), nec quando alius potest haberi sacerdos (8)

963 — Judicium de necessitate celebrationis alterius missæ et de fidelium numero requisito ut

(1) « Non modica res est unam missam celebrare et valde felix est qui unam digne celebrare potest », Can. 53, dist. I, 3ª parte Decreti. Cf. cap. 3 et 12 tit. *De celebratione Missarum* XLI, lib. III Decretal., et const. Benedicti XIV, *Quod expensis,* 26 aug. 1748. — (2) Cong. de Prop. fide, 24 maii 1870. — (3) S. Cong. Rituum, 22 maii 1841. — (4) S. Cong. de Propag. fide, 17 febr. 1648, 7 aug. 1684. — (5) S. Cong. Concilii, 4 april. 1887 et 19 jan. 1889. — (6) Const. Benedicti XIV, *Declarasti nobis*, 16 mart. 1746. — (7). S. Cong. de Propag. fide, 7 mart. 1743 et 28 jul. 1750 ; const. Benedicti XIV, *Apostolicum*, 30 maii 1753. — (8) Const. Benedicti XIV, *Declarasti*, 16 mart. 1746 ; S. Cong. Concilii, 19 jan. 1889 et 20 maii 1897.

secunda missa celebrari queat, relinquitur prudentiæ et conscientiæ episcopi vel prælati (1).

964 — Pro hac secunda missa celebranda, debet sacerdos jejunium observare, ita ut si in priori, post receptionem Corporis et Sanguinis, profusionem acceperit, non debet secundam missam celebrare, etiamsi populus sacrificio diebus festis inde privaretur (2).

965 — Noctu Missam celebrare non licet, nisi unicam et publicam in festo Nativitatis Domini (3). Privatæ autem missæ quotidie dici possunt ab aurora usque ad meridiem (4).

966 — Alia est missa cantata et alia missa lecta Item distinguuntur missa privata et missa publica, quæ non necessario cantatur. Missa publica illa est ad quam populus cum suo rectore convenit. Aliquando est conventualis, capitularis vel parochialis. Missa privata illa est quam celebrat sacerdos ut devotioni propriæ satisfaciat.

967 — Moneri debent parochiani ut assistant huic missæ parochiali quæ pro populo offertur, et in qua prædicatur verbum Dei (5).

968 — Privatæ Missæ semper fuerunt in usu, et

(1) Litteræ Leonis XII, 13 mart. 1828; S. Cong. de Propag. fide, 16 nov. 1688, 31 jul. 1851 et 28 sept. 1853; Cong. S. Officii, 20 jun. 1880. — (2) S. Cong. de Propag. fide, 24 maii 1870. — (3) Cf. Decreta S. Cong Rituum 20 april. 1641 et 18 sept. 1781, in quibus declaratur non licere cuique sacerdoti missam privatam ante auroram hac die celebrare, et consuetudinem esse ab episcopo abscindendam. — (4) Can. 48, dist. I, 1a parte Decreti. — (5) Conc. Trid. sess. XXII. Decretum de celebratione Missarum.

deo illarum praxis est licita et laudabilis, et perperam condemnata a quibusdam hæreticis.

969 — Celebrare non licet nisi in locis ad hoc designatis, et consecratis seu benedictis, nisi contrarium expostulet necessitas, et tunc fit quovis loco commodo et decenti, et etiam sub dio. Sed hoc transeunter tantum permittere debent episcopi (1).

970 — Ex præcepto Ecclesiæ, Christiani omnes diebus dominicis et festivis, Missæ toti interesse debent. Huic præcepto in qualibet ecclesia publica satisfieri potest (2).

971 — Loco oblationum quæ olim præsentabantur ad materiam sacrificii et ad sustentationem cleri, suffectus est usus stipendii, seu pecuniæ quam sacerdotes acceptare possunt ut offerant sacrificium intuitu certarum et determinatarum personarum, sive ex vivis, sive ex defunctis.

972 — Non licet missam celebrare pro illis qui vere in infidelitate defuncti sunt (3).

973 — Deficiente consuetudine aut lege synodali, episcopi est judicare, etiam pro regularibus (4), quænam summa determinanda et tribuenda est sacerdoti. Hæc taxatio diversa esse potest juxta diversas diœceses et circumstantias (5).

974 — Sacerdos speciatim offerre debet sacrificium ad intentionem illius a quo eleemosynam seu stipen-

(1) Can. 1, 11, 12, 14, 15, dist. I, 3ª parte Decreti. — (2) Can. 64 ejusd. dist. — (3) S. Cong. de Propag. fide, 12 sept. 1645. — (4) S. Cong. Concilii, 15 jan. 1639. — (5) S. Cong. Concilii, 15 nov. 1598.

dium accepit, nec licet unam missam celebrare pro pluribus, stipendium multiplex recipiendo (1). Nec potest sacerdos, pro se nec pro bonis operibus, retinere partem stipendii quod accepit et quod transmittit ad alium sacerdotem, onus celebrationis adimpleturum (2).

975 — Non licet nimis retardare adimplementum obligationis missæ celebrandæ, recepto stipendio (3).

976 — Sacerdotes accipere non debent nova onera missarum, nisi infra modicum tempus oneribus jam susceptis satisfacere possint (4), nisi offerens eleemosynam consentiat in dilatione celebrationis.

977 — Omnino cavendum est ne quis divinum illud opus in quæstum vertat sacerdos, et nihil agat sive de missa ipsa, sive de missæ stipendio, quod simoniam aut mercimonium sapiat (5).

978 — Plectuntur excommunicatione latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ, colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis et ex eis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent (6).

979 — Qui propter beneficium aut capellaniam qua fruitur, tenetur oneri missæ celebrandæ, non

(1) Ex decreto Alexandri VII, 24 dec. 1665. — (2) Const. Benedicti XIV, *Quanta cura,* 30 jun. 1741 ; S. Cong. Concilii, 21 jun. 1625, 23 nov. 1697 et 31 jan. 1880. Alexander VII, die 24 sept. 1665, proscripsit opinionem contrariam. — (3) Const. Innocentii XII, *Nuper,* 23 dec. 1697 ; S. Cong. Concilii, 21 jun 1625 et 17 jul. 1655. — (4) S. Cong. Concilii, 21 jun. 1625 et 23 nov. 1697.— (5) Cf. præsertim Decretum S. Cong. Concilii, 9 sept. 1874, quod probavit Pius IX et 25 maii 1893, necnon et 28 aug. 1897 ; S. Pœnit. 6 oct. 1862, 19 nov. 1863, 22 aug. 1874 et 25 avril 1875. — (6) Const. *Apostolicæ Sedis* § II, n. 5. Cong. S. Officii, 13 jan. 1892.

potest pro hac eadem missa eleemosynam recipere (1).

980 — Ratione beneficii, missa est applicanda quando hoc clare exprimitur in fundatione. Si autem in fundatione, sermo fiat de celebratione missarum, silendo de earum applicatione, præsumptio est præscriptam fuisse quoque applicationem, usque ad probationem contrariam aut nisi adsint gravissimæ præsumptiones adversæ.

981 — Celebrandæ sunt tot missæ quot præscriptæ fuerunt ad rationem eleemosynæ tributæ, sive agatur de fundationibus aut de missis manualibus, licet stipendium sit inferius taxationi diœcesanæ (2).

982 — Consuetudine etiam centenaria perimi nequeunt onera missarum quæ cæteroquin a testatore decreta fuisse certo constat (3).

983 — Episcopis non est facultas reducendi onera missarum fundatarum, etiamsi taxatio statuta a fundatore facta fuerit tenuis nimis. Hæc reductio debet postulari a Sancta Sede (4).

984 — Ille cui conceditur facultas binas missas celebrandi, non potest pro utraque stipendium recipere, sed pro una tantum ex illis. Nec potest ille qui tenetur celebrare ratione beneficii, pro secunda missa quam offert etiam licite, eleemosynam acci-

(1) S. Cong. Concilii, 23 nov. 1697. — (2) S. Cong. Concilii, 21 jun. 1625 et 23 nov. 1697. — (3) S. Cong. Concilii, 18 aug. 1845. — (4) S. Cong. Concilii, 15 mart. 1597.

pere (1). Exceptio fit pro celebratione trium missarum in die Nativitatis Domini (2).

CAPUT VI

De Pœnitentia.

Sect. I — DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

985 — Pœnitentia est sacramentum quo post baptismum lapsis, contritis ac confessis ac satisfacere proponentibus, absolutio tribuitur peccatorum.

986 — Hujus sacramenti quasi materia sunt actus pœnitentis, scilicet confessio, contritio ac satisfactio. — Contritio est dolor de peccato commisso cum proposito de cætero non peccandi. — Confessio est peccatorum accusatio, eo fine ut illorum venia obtineatur. — Satisfactio est pœna quæ, arbitrio sacerdotis, pœnitenti imponitur.

987 — Primis Ecclesiæ sæculis, absolutio non concedebatur nisi peracta pœnitentia, seu satisfactione; sed invaluit usus contrarius in quo nihil obstat essentiæ sacramenti.

988 — Forma sunt verba quæ profert sacerdos actum judicialem exercens. Nisi urgeat necessitas,

(1) Const. Benedicti XIV, *Declarasti,* 16 mart. 1746; S. Cong. Concilii passim et præsertim 25 sept. 1835 et 19 dec. 1835 — (2) S. Cong. Concilii, 18 april. 1654.

adhiberi debet tota formula quæ continetur in Rituali. Nullo modo licet per litteras aut per intermedium peccata sacramentaliter confiteri (1).

989 — Minister sacramenti est episcopus et sacerdos, nullo modo diaconus aut alius clericus. Sed ultra potestatem ordinis, requiritur etiam jurisdictio. Istud enim sacramentum administratur per modum judicii. Necesse est ideo ut ipsius minister agat tanquam judex, et habeat subditos sibi designatos.

990 — Jurisdictio fori pœnitentialis primario est penes episcopum in tota sua diœcesi.

991 — Parochi, eo ipso et sui officii jure, hanc jurisdictionem obtinent, quia, cum parochi fiunt, accipiunt subditos regendos et pascendos. Ipsi hoc jus exercere possunt in suos parochianos, etiam extra territorium proprium.

992 — Cæteri vero sacerdotes sive regulares sive sæculares indigent facultate ab episcopo obtinenda, a quo ad hoc munus judicantur apti et idonei, et potestatem necessariam accipiunt (2).

993 — Ex sola delegatione episcopi, religiosus valide absolvit, etiam inscio aut invito superiore qui suspendere non potest suum subditum, reddendo invalidam potestatem illi factam ab episcopo.

(1) Const. Clementis VIII, *Sanctissimus*, 20 jul. 1602. —
(2) Const. S. Pii V, *Romani pontificis*, 6 aug. 1571; S. Cong. Concilii, 19 nov. 1707. — Cf. resp. S. Cong. Ep. et Reg., 5 martii 1883.

Religiosus tamen, sic suspensus a superiore suo, illicite agit sed valide (1).

994 — Sacerdotes iter transmarinum arripientes, ab Ordinariis locorum unde naves solvunt, possunt approbari, et itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones valide et licite suscipere, usquedum perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit (2).

995 — Facultas confessariis ab episcopo concessa potest ab eo finibus coërceri, modo angustioribus, modo latioribus. Valet enim episcopus, pro suo arbitrio, concedere jurisdictionem vel in certas personas, vel in certo loco, vel tantum ad quædam peccata absolvenda. Inde, jus *casuum reservatorum.*

996 — Facultas qua pollet episcopus in sua diœcesi, pénes Summum Pontificem existit pro Ecclesia universali et relate ad omnes episcopos et presbyteros. Ideo, ipse potest sibi reservare crimina absolvenda a se aut ab illis quibus ipse facultatem est impertitus.

997 — Statuit tamen Tridentina synodus quod nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo tunc omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt (3), etiam alio sacerdote non deficiente.

(1) S. Cong. Episc. et Regul. 5. mart. 1886. — (2) Cong. S. Officii, 17 mart. 1869. — (3) Sess. XIV, cap. 7. — Existit autem onus reincidentiæ, si infirmus convaluerit. Cong. S. Officii, 19 aug. 1891 et 13 jan. 1892.

998. — Nullo modo licet confessario requirere a pœnitente nomen sui complicis (1).

999. — Illi confessarii qui crimen commiserunt sollicitationis ad turpia, denuntiari debent et puniri ad tramites constitutionis Benedicti XIV, *Sacramentum Pœnitentiæ* et instructionis Congregationis S. Officii, 20 feb. 1867 (2).

1000. — Excommunicationem incurrunt nemini reservatam negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios seu sacerdotes a quibus sollicitati fuerunt ad turpia (3).

1001. — Reservatur Romano Pontifici peccatum alius personæ quæ per se accusaverit, vel studuerit et procuraverit ut alius accusaret ad tribunal Ecclesiæ, de falso crimine sollicitationis ad turpia, confessarium innocentem (4).

1002. — Quilibet sacerdos statim amittit facultatem absolvendi complicem in peccato turpi. Si id attentaret, etiam simulando absolutionis concessionem (5), incurrit excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici specialiter reservatam, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem (6).

(1) Const. Benedicti XIV, *Ubi primum*, 2 jul. 1746. — (2) Cong. S. Officii, 28 april. 1700, 15 sept. 1859, 18 martii 1863, 6 aug. 1897, et Instructio ejusd. Cong., 20 julii 1890. — (3) Const. Benedicti XIV, *Sacramentum pœnitentiæ*, 1 jun. 1741. — (4) Const. *Apostolicæ Sedis*, § 4, n. 4; const. Gregorii XV, *Universi*, 30 aug. 1622 et Benedicti XIV, *Sacramentum Pœnit.* — (5) S. Pœnitentiaria, 1 mart. 1878,... 1882 ; Cong. S. Officii, 10 dec. 1883 et 15 jan. 1892. — (6) Const. *Apostolicæ Sedis*, § 1, n. 10 ; Const. Gregorii XV, *Universi*, 30 aug. 1622.

1003 — Monialium confessarii debent ætate superare quadraginta annos (1). Regula est ut isti ordinarii confessarii singulo triennio mutentur (2).

1004 — Præter ordinarium autem confessarium, alius extraordinarius ab episcopo aut ab aliis superioribus bis aut ter saltem in anno offeratur, qui omnium confessiones audiat (3).

1005 — Moniales autem non tenentur ad confessionem faciendam, sed tantum ut se sistant ad confessarium extraordinarium. Hoc præstandum est ab omnibus sive professis sive novitiis, et etiam a sæcularibus quæ vel educationis causa vel alio titulo, in eodem monasterio commorantur.

1006 — Hæc eadem disciplina servanda est etiam pro monialibus quæ clausuræ legibus adstrictæ non sunt, et etiam in aliis mulierum aut puellarum cœtibus et conservatoriis (4).

1007 — Electio confessarii extraordinarii spectat ad episcopum vel ad superiorem cujus est ordinarium confessarium deputare. Iste autem confessarius extraordinarius designari potest non tantum pro tota communitate, sed etiam pro religiosa singulari. Non tamen eligi debet pro monialibus confessarius extraordinarius qui sit de eodem ordine; sed qui presbyter sæcularis sit vel ex alio ordine religioso confessarius, saltem semel in anno, eisdem

(1) S. Cong. Episc. et Regul. 2 maii 1617 et 7 jun. 1620. — (2) S. Cong. Episc. et Regul. 2 sept. 1642 et 22 april. 1872. — (3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 10 de Regul.; S. Cong. Ep. et Reg. 17 dec. 1890. — (4) Const. Benedicti XIV, *Pastoralis curæ*, 5 aug. 1748.

offerri debet per episcopum, si renuat id facere superior religiosus (1).

Sect. II — DE INDULGENTIIS.

1008 — Indulgentiæ vocantur remissio pœnæ temporalis cui ligamur coram Deo, dimissa etiam culpa et pœna æterna per sacramentum Pœnitentiæ. Concessio Indulgentiarum fit ratione thesauri, qui constat ex meritis superabundantibus Christi, B. Mariæ Virginis et Sanctorum, cujus dispensatio Ecclesiæ committitur ad utilitatem fidelium sive vivorum sive in Purgatorio detentorum (2).

1009 — Jus concedendi Indulgentias illorum est quibus est potestas jurisdictionis seu jus ligandi atque solvendi.

1010 — Isti sunt Romanus Pontifex et episcopi, sive in concilium adunati, sive seorsim spectati.

1011 — Juxta hodiernam disciplinam, solus Pontifex concedere potest plenarias Indulgentias sive per se sive per suos delegatos. Restricta autem fuit potestas singulorum episcoporum ita ut ipsi concedere valeant tantum indulgentiam XL dierum, aliquando vero centum dierum. Si autem cardinales sint, ordinarie centum dierum indulgentias concedere valent (3).

(1) Const. Innocenti XIII, *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723 ; Benedicti XIII, *In supremo*, 23 sept. 1724; Benedicti XIV, *Pastoralis curæ*, 5 aug. 1748. — (2) Cf. Const. Pii IV, *Decet Romanum*, 7 nov. 1562. — (3) Decr. S. Cong. Indulg. 26 maii 1898, quo revocantur indulgentiæ mille vel plurium millium annorum.

1012 — Inter indulgentias concessas a Pontificibus, notanda est illa quæ vocatur anni *Jubilæi*, quæ primum elargita initio singuli sæculi a Bonifacio VIII, reducta est ad annum 50um a Clemente VIII, et demum impertitur vigesimo quoque quinto anno, a tempore pontificis Sixti IV (1).

1013 — Indulgentiæ concessæ a Romano Pontifice sive omnibus fidelibus sive singulis personis debent publicari et recognosci ab Ordinariis locorum; sed tamen antea jam valorem suum obtinent.

1014 — Collectio Indulgentiarum quæ dicitur : *La Raccolta*, ut authentica est habenda, et episcopus publicare potest indulgentias quæ in ea enumerantur et quæ omnes fidelibus defunctis possunt applicari (2). Non licet autem alias collectiones conficere, neque etiam eamdem diverso idiomate traducere absque licentia ejusdem Congregationis (3).

1015 — Quando Indulgentiæ conceduntur sub conditione peractæ confessionis sacramentalis, hæc fieri debet etiam ab illis qui conscii non sunt peccati mortalis (4). Hi autem qui saltem semel in hebdomada accedunt ad tribunal Pœnitentiæ, omnes Indulgentias lucrari possunt (5). Ubi autem inopia existit confessarii, Indulgentias lucrari possunt fideles, si peccata confiteantur infra hebdomadam ante diem festum designatum (6). — Requiritur

(1) Cf. titulus *De Pœnitentiis et remissionibus* IX, lib. V Extrav. Commun. — (2) S. Cong. Indulg., 30 sept. 1852 et 15 dec. 1854. — (3) Ead., 14 apr. 1856 et 14 dec. 1857 — (4) Ead. 19 maii 1759. — (5) Ead. 9 dec. 1763. — (6) Ead. 12 jan. 1822 et 15 dec. 1841.

confessio, non autem absolutio sacramentalis (1). — Sæpe, ex indulto, spatium istud extenditur ad quindecim dies, non autem amplius.

1016 — Quando requiritur Communio ad lucrandas indulgentias, hæc fieri potest in pervigilio festivitatis (2), et unica Communio sufficit ad obtinendas multiplices Indulgentias huic diei festo assignatas (3).

1017 — Ad lucrandas Indulgentias plenarias, non satisfit precibus præscriptis per preces jam aliunde obligatorias, v. g. per recitationem Horarum canonicarum (4).

1018 — Indulgentiæ concessæ alicui diei festo, translatæ intelliguntur ad illum diem quo festum istud, sive in perpetuum, sive aliquo casu, sive ad tempus transfertur. Quando autem transfertur officium cum missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, Indulgentiarum nulla fit translatio (5).

1019 — Concessiones Indulgentiarum sunt stricti juris et strictæ interpretationis. Adimpleri debent igitur omnia opera et recitari preces indicatæ in rescripto concessionis, nec fieri potest etiam commutatio in aliud opus etiam melius, sine licentia concedentis.

(1) Ead. 15 dec. 1841.— (2) Ead. 12 jun. 1822. — (3) Ead. 29 maii 1841. — (4) Ead. ibid. — (5) Ead. 11 aug. 1852.

CAPUT VII

De Extrema-Unctione.

1020 — Extrema-Unctio est Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum ad infirmos corporaliter et spiritualiter sublevandos.

1021 -- Materia hujus Sacramenti est oleum, apud Latinos ab episcopo benedictum in feria V Majoris Hebdomadæ; apud Græcos autem a presbyteris, et quoties illud adhiberi oportet.

1022 — Temerarium est et errori proximum asserere, sacramentum Extremæ-Unctionis ex oleo, benedictione non consecrato, valide posse ministrari (1). Hoc fieri non potest neque in casu necessitatis (2).

1023 — Sacerdotes nequeunt, pro commodo suo, apud se domi retinere oleum infirmorum, excepto casu magnæ distantiæ ab ecclesia: quo in casu, etiam domi, oleum sanctum debet honeste, decenter et tuto custodiri (3).

1024 — Ex isto oleo fieri debent, pollice presbyteri, unctiones super ægrotos, juxta ritus descriptos in Rituali Romano. Adhiberi debent etiam formulæ ibidem inscriptæ. In casu autem necessitatis unica unctio cum formula generali sufficiens est.

(1) Paulus V, in Cong. S. Officii, 13 jan. 1655. — (2) Cong. S. Officii, 14 sept. 1842. — (3) S. Cong. Rit., 16 dec. 1826.

1025 — Hoc sacramentum recipere possunt ii tantum qui infirmi sunt: ideo non confertur illis etiam qui in periculo mortis versantur, ut sunt præliaturi vel capite damnati. In eadem autem infirmitate semel tantum potest recipi.

1026 — Extremam-Unctionem valide administrat quilibet sacerdos; licite autem parochus aut alius cum ejus licentia saltem præsumpta. Sub pœna excommunicationis Romano Pontifici simpliciter reservatæ, religiosis prohibetur ne ipsi, extra casum necessitatis, ministrent hoc sacramentum, absque licentia parochi (1).

CAPUT VIII

De Ordine.

1027 — Ordo est sacramentum Novæ Legis, quo per solemnem inaugurationem traditur spiritualis potestas ad sacra munia obeunda. — Illa cæremonia per quam ordo confertur, dicitur : Ordinatio (2).

1028. — Materia hujus sacramenti illa res est per cujus traditionem confertur Ordo. Forma autem sacerdotii et aliorum Ordinum late continetur in Pontificali Romano (3).

(1) Clementina un. tit. *De privilegiis* VII, lib. V. et const. *Apostolicæ Sedis*, § II n. 14 — (2) Cfr. Littera SSmi Leonis XIII, id. sept. 1896, *Apostolicæ curæ*, de ordinationibus Anglicis. — (3) Eugenius IV, Decretum ad Armenos ; Cong. S. Officii, 20 april., 2 jun. et 6 julii 1898.

1029 — Effectus Ordinis sunt potestas, gratia et character. Hæc potestas diversa est juxta diversos gradus jam descriptos ubi de hierarchia Ordinis.

1030 — In jure canonico, quædam sunt leges spectantes ad Ordinis suscipientem, ad hujus Sacramenti ministrum et ad circumstantias Ordinationum.

SECT. I — DE ORDINE RELATE AD SUSCIPIENTEM.

1031 — Ecclesia nonnullas qualitates exigit in eo qui ad ordines est promovendus, vel eosdem est exercendus. Requisita ista sunt vel positiva vel negativa.

§ I. — DE REQUISITIS NEGATIVIS SEU DE IRREGULARITATIBUS.

1032 — Irregularitas definitur : Impedimentum a jure canonico institutum (1), removens ab Ordinibus sive suscipiendis sive exercendis illos a quibus foret imminuta veneratio sacris functionibus et statui clericali debita, juxta axioma: « Quod infirmari et vituperari potest, præcaveri debet » (2).

1033 — Irregularitates non sunt proprie dictæ pœnæ; sunt tamen semper aliquid in jure odiosum. Sunt etiam fori externi et publici.

1034. — Irregularitas est sive ex delicto sive ex defectu ; potest esse partialis vel totalis — potest esse sive ante sive post ordines susceptos, et inde diversos habet effectus.

(1) Cap. 18. tit. *De sententia excommunicationis* IX lib. V in VI. — (2) Cap. 1, tit. *De servis non Ordinandis* XVIII, lib. I Decretal.

1035 — Irregularitates **ex delicto** proveniunt: 1° ex homicidio vel mutilatione; 2° ex baptismatis iteratione; 3° ex censurarum violatione; 4° ex indigna Ordinis susceptione vel administratione; 5° ex hæresi vel apostasia.

1036 — Irregularis fit ille qui per industriam et insidias *occidit proximum suum* (1); item et ille qui mutilat proximum (2).

1037 — Hoc ita est intelligendum: — 1° Qui dat operam rei licitæ et eam diligentiam adhibet, ut nulla ratione, homicidium prævidere potuerit, irregularis non est etiamsi homicidium ex suo facto consequatur (3). — 2° Qui dat operam rei licitæ, sed ex omissione debitæ diligentiæ vel ex artis imperitia hominem occidit, irregularitatem contrahit (4). Ita etiam ille qui excessus facit in actione aliunde licita (5). — 3° Ille qui dat operam rei illicitæ, etiamsi diligentiam adhibeat ne mors sequatur, tamen irregularis fit, si quempiam occiderit vel mutilaverit (6). — 4° Qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem, irregularis non est (7), modo agat cum moderamine inculpatæ tutelæ (8).

1038 — Voluntarii homicidæ nunquam sunt ordinandi. Si vero homicidium fuerit commissum casu omnino fortuito, vel vim vi repellendo, commit-

(1) Cap. 1, 2 et 3 tit. *De homicidio* XII, lib. V. Decretal. — (2) Cap. 5 ejusd. tit. — (3) Cap. 9, 13, 14, 15, 16, 23, et 25 ejusd. tit. — (4) Cap. 7 et 12 ejusd. tit. — (5) Cap. 10 ejusd. tit. — (6) Cap. 8 et 19 ejusd. tit.; S. Cong. Concilii, 22 jan. 1776, 21 febr. 1781 et 13 maii 1784. — (7) Clementina unica tit. *De homicidio* IV, lib. V. — (8) Conc. Trid. sess. XIV cap. 7 de Ref.

tenda est causa Ordinario qui dispensare valet (1).

1039 — Irregularitas incurritur ex *iteratione baptismi.*

1040 — Irregulares sunt: 1° cooperantes ad baptismum (2); 2° rebaptizantes; 3° rebaptizati ipsi (3) 4° baptizati ab hæreticis (4). Sed illa irregularitas non contrahitur si baptismum fuerit collatum infanti ab hæretico (5).

1041 — Irregularitas incurritur ex *violatione censurarum* sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti (6).

1042 — Irregularitas incurritur etiamsi violetur censura inflicta per sententiam injustam antequam reformetur, et etiam facta appellatione quæ sententiæ effectum non suspendit (7).

1043 — Irregularitas contrahitur sed de ea potest dispensari, quando reus per solam famam et per viam extrajudicialem cognovit censuram contra se latam (8).

1044 — Non incurritur irregularitas, si censuratus ignorans celebraverit; eidem autem subjicitur, si ignorantia fuerit crassa vel supina (9).

(1) Conc. Trid. ibid. — (2) Cap. 2 tit. *De apostatis et reiterantibus baptisma* IX, lib. V Decretal. — (3) Can. 65 dist. IV, 1ª parte Decreti. — (4) Can. 18, causæ 1ª quæst. I, 2ª parte Decreti. — (5) S. Cong. Concilii, 21 maii 1718. — (6) Cap. 1 et 20 tit. *De sententia Excommunic.* XI, lib. V in VI. et cap. 1, 3 et 4 tit. *De clerico excommunicato* XXVII, lib. V Decretal. — (7) Cap. 40 tit. *De sententia Excommunicationis* XXXIX, lib. V Decretal. et cap. 20 ejusd. tit. XI, in VI. — (8) Cap. 5 tit. *De Clerico excommunicato* XXVII, lib. V Decretal. — (9) Cap. 9 ejusd. tit.

1045 — Irregulares sunt qui ordines *furtive* recipiunt, id est contra prohibitionem sui episcopi (1).

1046 — Item, *ordinati ab episcopo excommunicato*, vel suspenso vel interdicto, nominatim denuntiato, aut ab hæretico vel schismatico notorio. Qui vero bona fide ordines sic recepit subjacet etiam suspensioni, sed dispensari potest ab Ordinario (2).

1047 — Item, laborantes *infamia juris* propter crimen de quo non egerunt pœnitentiam (3).

1048 — Illi etiam qui exercere tentaverunt *ordinem non susceptum* aut divinum officium, ante suam ordinationem (4). Hæc regula applicanda non videtur exercitio ordinum minorum.

1049 — Illi etiam qui promoti fuerint ad ordines sacros, *post celebratum matrimonium,* etiam non consummatum, invita uxore (5).

1050 — Irregulares sunt *hæretici,* necnon et eorum credentes, receptatores, defensores et fautores ipsorumque filii usque ad secundam generationem (6), non autem filii infidelium.

1051 — Irregularitates **ex defectu** sub duplici classe sunt enumerandæ. — Proveniunt enim ex

(1) Cap. 1, 2 et 3 tit. *De eo qui Ordinem furtive suscepit* XXX, lib. V Decretal. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis*, n° 6 — (3) Cap. 17, tit. *De temporibus Ordinationum* XI, lib. I Decretal. — (4) Cap. 1 et 2 tit. *De clerico non ordinante ministrante* XXVIII, lib. V Decretal. — (5) Cap. un. tit. *de Voto et Voti Redemptione* VI. inter Extrav. Joannis XXII. — (6) § 2 cap. 2 tit. *De hæreticis* II, lib. V in VI; Cong. S. Officii, 6 mart. 1891 et 3 febr. 1898.

defectu sese referente ad personam, et procedere possunt ex parte animi, fidei, corporis, indolis vel famæ; — vel spectant ad conditionem personæ et proveniunt ex origine vitiosa, ex defectu libertatis aut ex bigamia.

1052 — Propter *animi* defectum censentur irregulares : amentes, lunatici et furiosi etiamsi lucida habeant intervalla; epileptici seu laborantes morbo comitiali; obsessi a dæmone (1).

1053 — Ob defectum *fidei* confirmatæ, irregulares sunt neophyti, seu recens conversi ad fidem (2). De spatio temporis in quo aliquis dicendus est neophytus, episcopi est judicare juxta circumstantias.

1054 — Neophytis olim assimilabantur clinici, id est baptizati in periculo mortis (3).

1055 — Ex defectu *corporis*, irregulares generatim sunt illi qui « nec secure propter debilitatem nec sine scandalo propter deformitatem, functiones sacras exercere queunt » (4). De hoc, episcopi est judicare ad tramites canonum (5).

1056 — Iidem si jam ordinati fuerint, irregulares non censentur, relate ad illas functiones quas secure et decenter exercere valent (6).

(1) Can. 2 et 3 dist. XXXVIII, 1ª parte Decreti. — (2) Ex apost. Paulo, I ad Tim. III, 6; can. 1 dist. XLVIII, et can. 9 dist. XLI, 1ª parte Decreti. — (3) Can. I dist. LVII, 1ª parte Decreti. — — (4) Cap. 2 tit. *De clerico ægrotante* VI, lib. III Decretal. et ex titulo. *De corpore vitiatis* XX, lib. I Decretalium.—(5) Cap. 1 ejusd. tit. XX et S. Cong. Concili., 12 jul. 1721. — (6) Cap. 2 tit. *De clerico ægrotante* VI, lib III Decretal.

1057 — Sacerdotibus cæcutientibus indulgetur ut celebrent quotidie missam votivam *de Beata* ad tramites decretorum S. Cong. Rituum 11 sept. 1847 et 28 april 1866.

1058 — Defectus *indolis* et *lenitatis* existere judicatur in illis omnibus qui directe vel indirecte sanguinem effuderunt, etiam juste.

1059 — Tales judicantur irregulares ex hoc capite : 1° milites omnes qui pugnaverunt in bello injusto : in bello autem justo, illi tantum qui revera occiderunt vel mutilaverunt aliquem (1) ; 2° judices in causa sanguinis et ei omnes qui cooperati sunt ut jurati, accusatores, testes saltem non necessarii et carnifices ; 3° medici generatim si clerici sint ; laici autem si, ex negligentia, ægroti alicujus morti cooperati fuerint.

1060 — Ex defectu *famæ* inducitur irregularitas : 1° ob crimen perpetratum et probatum per sententiam saltem declaratoriam, cui infamiæ dedecus inhæret ; — 2° ob condemnationem ad pœnam infamantem ; — 3° ob exercitium artis inhonestæ, ut v. g. mimi, histrionis etc.

1061 — Ex defectu *natalium* irregulares sunt illi qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati, vel ex parentibus quibus est interdictus nuptiarum usus (2). Sed hoc non est præsumendum, et jus canonicum admittit axioma : Is est pater quem

(1) Ita generatim auctores — (2) Cap. 1 et 14 tit. *De filiis presbyterorum* XVII, lib. I Decretal.

justæ nuptiæ demonstrant, usque ad probationem contrariam (1).

1062 — Probabile est pueros expositos considerandos esse hac in re et habendos veluti illegitimos.

1063 — Hæc irregularitas tolli potest : 1° per subsequens matrimonium relate ad filios naturales tantum (2) : inanis est tamen iste modus sanationis relate ad Cardinalatum (3); — 2° ex rescripto Papæ concedente legitimationem (4) quoad jura spiritualia, aut jura civilia adnexa dignitati ecclesiasticæ. Legitimatio autem facta a principe non valet ad ordines vel beneficia ecclesiastica (5) ; — 3° ex professione religiosa, quod non valet relate ad prælaturas (6), sed filius illegitimus recipi non potest in monasterium seu in religionem in quo pater adhuc vivit (7); — 4° per dispensationem quam concedere potest episcopus aut vicarius capitularis pro suscipiendis ordinibus minoribus (8) et pro beneficiis simplicibus, non autem quoad canonicatum ecclesiæ cathedralis.

1064 — Non licet filiis clericorum qui nati non

(1) S. Cong. Concilii, 27 jun. 1857. — (2) Cap. 1 et 9 tit. *Qui filii sint legitimi* XVII, lib. IV, Decretal.; Const. Benedicti XIV, *Redditæ*, 5 dec. 1744. — (3) Const. Sixti V, *Postquam Verus*, 3 dec. 1586. — (4) Cap. 13 cap. *Qui filii* etc. XVII, lib. IV Decretal. — (5) Illa autem dispensatio censetur odiosa, nec debet extendi ultra terminos rescripti. Sic qui legitimatur ad ordines minores, non factus est habilis ad Ordines majores vel ad beneficia duplicia. — Const. Gregorii XI, *Etsi*, 11 nov. 1374. — (6) Cap. 1 tit. *De filiis presbyterorum* XVII, lib. I Decretal; S. Cong. Episc. et Regul. 23 jan. 1860. — (7) Const. Gregorii XIV, *Circumspecta*, 15 mart. 1591. — (8) Cap. 18 tit. *De filiis presbyterorum* XVII, lib. I Decretal. Cf. dist. LI, 1ª parte Decreti.

sunt ex legitimo matrimonio, in ecclesiis ubi eorum pater beneficium habet aut habuit, quodcumque beneficium etiam dissimile obtinere, nec in dictis ecclesiis quocumque modo ministrare (1).

1065 — Prohibetur etiam mediata successio patris in filium illegitimum (2); nec filius illegitimus potest audire confessiones in ecclesia ubi pater fuit et demortuus est (3), nec potest esse rector ecclesiæ filialis et dependentis ab ecclesia matrice, cujus pater rector fuit (4). Istæ autem dispositiones non sunt applicandæ nisi filiis, non autem nepotibus vel cæteris parentibus.

1066 — Filius etiam legitimus clerici non potest immediate patri suo succedere in eodem beneficio (5).

1067 — Ex defectu *libertatis* irregulares sunt servi qui libertatem a domino suo non sunt adepti (6).

1068 — Irregulares sunt etiam illi qui obligantur ad servitia publica vel ad ratiocinia reddenda (7).

1069 — Conjugatus non potest admitti ad ordines recipiendos, nisi ex consensu uxoris. Videtur, in hoc casu, mulierem debere continentiam vovere (8), vel etiam ingredi monasterium, si sponsus

(1) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 15 de Ref.; cap. 3, 10 et 11 tit. *De filiis presbyterorum* XVII, lib. I Decretal. — (2) S. Cong. Concilii, ... 1589. et . . . . 1608. — (3) S. Cong. Concilii, 4 jul. 1645. — (4) Cf. Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. XIII, cap. 24. — (5) Cap. 7 tit. *De filiis presbyterorum* XVII, lib. I Decretal; Const. Clementis VIII, *Ad canonum*, 3 jun. 1533. — (6) Tit. *de servis non Ordinandis* XVIII, lib. I. Decretal.; dist. LIV, 1ª parte Decreti. — (7) Tit. *de Obligatis ad ratiocinia* XIX, lib. I. Decretal.; dist. LI, 1ª parte Decreti. — (8) Cap. 5 tit. *de Conversione conjugatorum* XXXII, lib. III Decretal.

ejus factus fuerit episcopus, aut voluerit ad religionem transire (1).

1070 — Probabiliter, obligatio hujusce voti continentiæ permanet etiam post mortem sponsi, et etiam, ita ut tale secundum matrimonium irritum fuerit (2).

1071 — Irregulares sunt ex *bigamia* illi qui pluries conjugati fuerunt, ad tramites verborum apostoli Pauli : «Oportet episcopum esse... unius uxoris virum (3).

1072 — Est bigamia vera quando aliquis duplex contraxit et consummavit matrimonium (4) etiam antequam fuerit baptizatus (5).

1073 — Est bigamia interpretativa pariter inducens irregularitatem : 1° quando quis contrahit et consummat matrimonium cum muliere licite vel illicite deflorata (6), etiamsi hoc acciderit ante baptisma (7); 2° quandò quis accedit ad propriam uxorem quæ in adulterii crimine fuerit deprehensa (8); 3° quando quis de facto duo simul init matrimonia invalida, vel si saltem unum fuerit invalidum.

1074 — Est bigamia similitudinaria, quando cle-

(1) Cap. 4 et 6 ejusd. tit. — (2) Cfr. Benedictus XIV, *Quæstiones Canonicæ*, n° DLXXVIII. — (3) I Tim. III 27; cap. 1 et 2 tit. *de Bigamis non ordinandis* XXI, lib. I Decretal. — (4) Cap. 5 ejusd. tit. — (5) Can. 2, q 3ª, causæ XXVII, 2ª parte Decreti. — (6) Cap. 5 tit. *de Bigamis non Ordinandis* XXI, lib. I Decretal; can. 9, 10 et 13 dist. XXXIV, 1ª parte Decreti. — (7) Can. 5 ejusd. dist. — (8) Can. 11 et 12 ejusd. dist.

ricus in ordinibus majoribus constitutus, attentat contrahere et consummare matrimonium (1).

1075 — Super irregularitatibus generatim solus Pontifex potest dispensare : episcoporum autem est judicare, in singula specie, utrum existat irregularitas vel non, sive dubium sit de facto sive de jure. — Dispensatio autem facilius conceditur relate ad exercitium quam ad receptionem ordinis.

1076 — Denique sanxit concilium Tridentinum neminem esse ordinandum qui, judicio sui episcopi, non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis (2).

§ 2. DE REQUISITIS POSITIVIS.

1077 — Illi qui ad ordines majores sunt assumendi, per mensem ante ordinationem, episcopum adeant. Eorum desiderium debet publice in ecclesia proponi. Parochus aut alter cui magis expedire videbitur, inquirere debet diligenter de eorum natalibus, ætate, moribus et vita, et litteras testimoniales ad episcopum transmittere (3).

1078 — A sacerdotibus et aliis prudentibus viris ab episcopo designatis, fieri debet examen de genere, persona, ætate, institutione, moribus, doctrina et fide eorum qui ordines recipere cupiunt (4).

(1) Cap. 7 tit. *De Bigamis* XXI, lib. I Decretal. — (2) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 16 de Ref. — (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 5 de Ref. — (4) Cf. can. 2 et 5 dist. XXV, 1ª parte Decreti ; Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 7 de Ref.

1079 — Præter absentiam irregularitatis et animæ pietatem, requirit etiam [illegible] susccpturis, qualitates positivas, quæ sunt: ætas determinata, gradus definitus scientiæ, libertas et titulus ordinationis.

1080 — Quoad **aetatem**, nullus est promovendus ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum; ad diaconatus, ante vigesimum tertium; ad presbyteratus, ante vigesimum quintum annum (1). Sed sufficit ut ætas prædicta attingatur, nec requiritur ut annus designatus sit completus (2).

1081 — Pro episcopatu requiritur annus tricesimus completus (3).

1082 — Pro ordinibus minoribus et pro tonsura, requiri videtur annus septimus (4). Necesse est etiam ut ille qui tonsuram est recepturus, sit confirmatus, alioquin contraheret irregularitatem (5), et indigeret nova provisione pro beneficiis jam acquisitis. Sed tonsura tamen fuisset valide collata.

1083 — Dies ipsa nativitatis supputari non debet, et hæc est praxis Ecclesiæ, etiam quando concessa fuit dispensatio. — Etiam, ille qui dubitat an attigerit ætatem requisitam, ordinari non potest absque dispensatione.

1084 — Episcopus scienter ordinans aliquem in

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 12 de Ref. — (2) Const. Benedicti XIV, *Eo quamvis,* 4 maii 1745. (3) Cap. 7 tit. *De Electione* VI, lib. I Decretal. ; Const. Benedicti XIV, *Eo quamvis.* — (4) Ex rubrica Pontificalis. — (5) S. Cong. Concilii, 27 sept. 1601.

majoribus ante ætatem a jure constitutam, subjicitur pœnæ suspensionis ferendæ sententiæ a collatione ordinum generatim.

1085 — Quoad **scientiam**, in promovendis ad tonsuram requiritur ut ipsi fidei rudimenta fuerint edocti, et scribere et legere sciant (1).

1086 — Requiritur ut suscepturi ordines minores saltem linguam latinam intelligant (2).

1087 — Pro subdiaconis et diaconis, requiritur ut sint litteris et iis quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi (3).

1088 — Ordinandi ad presbyteratum idonei comprobari debent ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ac ad administranda sacramenta; et hoc constare debet ex diligenti examine prævio (4).

1089 — Requiritur ad ordines suscipiendos **libertas** et intentio saltem habitualis. Unde infantes baptizati valide ordinantur, etiam ante rationis ætatem. Non tenentur autem ad obligationes ordinum, nisi, post annum decimum sextum, facta interrogatione, declaraverint se velle in sancto proposito perseverare.

1090 — Certum est ordinationem per vim collatam alicui contradicenti et reluctanti, nullam esse

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. [illegible] de Ref. — (2) Cap. 11 ejusd. sess. — (3) Cap. 14 ejusd. sess. — (4) Cap. 14 ejusd. sess.

ob contrariam voluntatem existentem in subjecto (1).

1091 — Ordinatio autem suscepta cum metu est valida. Si autem recepti fuerint ordines sub influxu metus gravis et injusti, non contrahuntur obligationes eisdem adnexæ.

1092 — Hic autem influxus injustus præsumi non potest, et constare debet ex judicis sententia. In hoc casu potius conceditur dispensatio a Romano Pontifice. Si autem metus cesset, et clericus ratam habuerit suam ordinationem, v. g. ministrando in ordine suscepto, deinde teneretur ad obligationes servandas. Causæ matrimoniales, ubi implicatur causa de validitate professionis religiosæ aut ordinationis, remittendæ sunt ad Sanctam Sedem (2).

1093. — Nemo ordinari potest nisi cum **titulo** beneficii, patrimonii, pensionis, mensæ communis, paupertatis aut missionis (3).

1094. — Episcopus conferens alicui ordines majores absque titulo, debet suppeditare clerico sic ordinato, cultum et victum honestum (4), et hæc obligatio transit ad successores episcopi ordinantis. Excipitur tamen casus quo clericus decepit episcopum ordinantem per falsa documenta.

1095. — Si autem ordinatio facta fuerit ab episcopo alieno, incumbit obligatio illi prælato qui

(1) Cf. cap. 3 tit. *de Baptismo* XLII, lib. III Decretal. — (2) Const. Bened. XIV, *Si datam*, 4 martii 1748 : Instructio Pii IX, 24 mart. 1858. — (3) Cap. 13 tit. *de Ætate etc. præficiendorum* XIV, lib. I; cap. 4 tit. *de Præbendis* V, lib. III Decretal. ; Conc. Trid. sess. XXI, cap. 2 de Ref. — (4) Cap. 2, 4 et 16 tit. *de Præbendis* V, lib. III Decretal.; const. S. Pii V, *Romanus Pontifex*, 14 oct. 1568 ; S. Cong. Concilii, 31 aug. 1771 et 30 jun. 1804.

litteras dimissorias concessit. Si autem ordinans egerit ex commissione generali, ipse erga sic ordinatos tenebitur (1).

1096 — Stricte prohibetur episcopo ordinanti ne requirat ab ordinato sine titulo, promissionem juratam de necessariis ad suam sustentationem non exigendis (2), et ordinans de facto suspenditur per triennium a collatione Ordinum (3).

1097 — Ille ordinatur titulo *beneficii*, de quo prius legitime constat eum pacifice possidere beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat (4). Remittitur judicandum arbitrio episcopi, utrum onera missarum detrahi debeant vel non in æstimatione sufficientiæ beneficii (5).

1098 — Ille clericus deinde suum beneficium resignare non potest, nisi fiat mentio de titulo; et resignatio admitti non potest nisi constet hunc clericum habere aliunde unde vivere honeste queat (6).

1099 — Ordinatur ad titulum *patrimonii*, ille qui probavit se possidere media sufficientia ad honestam sui sustentationem, juxta taxationem vigentem in sua diœcesi vel juxta consuetudinem locorum æstimata (7).

1100 — Ille titulus debet esse legitimus scilicet

(1) Cap. 37 tit. *de Præbendis* IV, lib. III in VI. — (2) Cap. 45 tit. *De Simoria* III, lib. V Decretal. — (3) Const. *Apostolicæ Sedis*, n. 2. — (4) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 2 de Ref. — (5) S. Cong. Concilii 17 juil. 1723. 3 aug. 1822. — (6) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 2 de Ref. — (7) Conc. Trid. ibid.; cap. 4 et 23 tit. *de Præbendis* V, lib. III Decretal.

1º ipsius possessio debet esse pacifica et non litigiosa; 2º titulus debet fundari in bonis stabilibus, vel in rebus quæ æquiparantur immobilibus (1); 3º eadem bona debent esse frugifera, nullo ære alieno aut hypotheca gravata.

1101 — Cum beneficio insufficienti, adnumerari potest supplementum patrimonii, si ordinandus est subditus proprii episcopi ratione originis vel domicilii, non autem ratione beneficii tantum (2).

1102 — Titulus *pensionis* ille est qui constituitur ex redditibus assignatis, dummodo hæc assignatio sit perpetua seu ad vitam clerici, et sufficiens, nec adsint pacta de eadem forte non solvenda.

1103 — Ad patrimonium vel ad pensionem ordinatus hæc alienare non potest sine licentia episcopi et donec ipse adeptus sit beneficium sufficiens, vel aliunde habeat unde vivere queat (3).

1104 — Titulus *mensæ communis*, vigens in quibusdam regionibus, habetur quando Principes aut viri nobiles vel communitates sese obstringunt per litteras ad præstanda alimonia alicui clerico.

1105 — Ad titulum *paupertatis* ordinantur religiosi professi qui ediderunt vota solemnia, et per

(1) S. Cong. Concilii, 17 mart., 18 nov. 1769 et 2 mart. 1865. — (2) S. Cong. Concilii, 20 oct. 1589 et 3 febr. 1884. Cfr. infra art 1115 et seqq. — (3) Conc. Trid sess. XXI, cap. 2 de Ref.

privilegium, quidam qui vota tantum simplicia protulerunt (1).

1106 — Non sufficit ideo iste titulus pro religiosis nondum professis (2), nec pro illis qui vivunt in Congregatione in qua solemnis non fit professio, et ordinans incurrit ipso jure suspensionem per annum a collatione ordinum (3). Non viget autem suspensio contra ordinatum.

1107 — Ad titulum *missionis* ordinantur illi qui subduntur S. Congregationi de Propaganda fide, et quibus alendis onerantur diœceses vel vicariatus apostolici, pro quibus isti ordinantur et in quibus jurant se ibi ministerium esse exercituros (4).

SECT. II — DE MINISTRO ORDINATIONIS.

§ 1. DE EPISCOPO PROPRIO SÆCULARIUM.

1108 — Ad validam ordinationem saltem ordinum majorum, requiritur et sufficit ut minister ordinationis vere sit episcopus (5).

1109 — Episcopus renuens alicui ordines conferre, nullo jure adstringitur ad manifestandam

(1) Regulares non possunt admitti ad ordines titulo paupertatis, quando emiserunt ea vota simplicia quæ præcedere debent vota solemnia, ad tramites const. Pii IX *Neminem latet*. — Vide art. 771 (S. Cong. Concilii, 20 jan. 1860). — (2) Const. S. Pii V, *Romanus Pontifex,* 14 oct. 1568. — (3) Const. *Apostolicæ Sedis*, nº 4. — (4) Cf. privilegium concessum ab Urbano VIII, 18 mart. 1638, et Instructio S. Cong. de Propaganda fide, 17 april. 1871. — (5) Conc. Trid. sess. XXIII, can. 7.

causam cur eum repellit, neque ei qui repulsus est ullum competit jus appellationis, sed potest adire Sedem Apostolicam eique suas querelas exponere (1).

1110 — Cardinales presbyteratus ordine insigniti, in ecclesiis suorum titulorum, abbates sacerdotes et solemniter benedicti, suis subditis regularibus tantum (2) exclusis aliis, et simplices presbyteri cum privilegio Romani Pontificis, tonsuram et ordines minores conferre valent (3).

1111 — Ad licitam ordinationem requiritur ut episcopus ordinans communionem habeat cum Sancta Sede et insuper debet esse *episcopus proprius* illius qui tonsuram vel ordines recipit (4).

1112 — Romanus Pontifex est episcopus proprius relate ad omnes qui ordinari non prohibentur a jure divino. — Qui autem ab illo fuerit semel ordinatus, non potest ad alium ordinem superiorem, sine ejus licentia promoveri (5).

1113 — Ordinans in aliena diœcesi sine consensu Ordinarii illius loci, ipso jure suspenditur ab exercitio pontificalium seu omnium actuum ordinis episcopalis. — Sic male ordinati sunt etiam ipso facto suspensi ab exercitio ordinum susceptorum (6).

(1) Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XII, cap. 8, n. 4. —S. Cong. Concilii 21 april. 1668. — (2) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 10 de Ref.; S. Cong. Concilii, 30 mart. 1594, 14 maii 1689; Decretum Urbani VIII, 15 febr. 1642. — (3) Can. 1 dist. LXIX, 1ª parte Decreti. — Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 10 de Ref. — (4) Dist. LXXI, 1ª parte Decreti; Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 8 de Ref. — (5) Cap. 12 tit. *De temporibus Ordinationum* XI, lib. I Decretal. — (6) Conc. Trid. sess. IV, cap. 5 de Ref.

1114 — Episcopus dici potest proprius ratione originis, domicilii, beneficii et familiaritatis (1).

1115 — Ille est episcopus proprius ratione *originis* ex cujus diœcesi aliquis est oriundus, seu in cujus diœcesi pater ordinandi habet domicilium (2).

1116 — Si agatur de filio illegitimo, attendendum est ad domicilium matris, etiamsi pater esset cognitus; si de puero exposito, ad locum expositionis; si de infidelibus baptizatis, ad locum baptismi (3).

1117 — Episcopus proprius ratione *domicilii* ille est in cujus diœcesi ordinandus habitat cum intentione perpetuo manendi.

1118 — Probatur domicilium per commorationem decennalem vel per translationem majoris partis rerum vel bonorum, simul cum commoratione per aliquod tempus notabile, et in utroque casu accedere debet confirmatio cum juramento de animo perpetuo manendi (4).

1119 — Ille est episcopus proprius ratione *beneficii* in cujus diœcesi aliquis clericus jam habet et pacifice possidet beneficium aptum et sufficiens ad honestam sui sustentationem sine adjunctione pa-

(1) Cap. 3 tit. *de temporibus Ordinationum* IX, lib. I in VI ; Const. Innocentii XII, *Speculatores*, 4 nov. 1694. — (2) Cap 3 tit. *de temporibus Ordinationum* IX, lib. I in VI. — (3) Const. Pauli III, *Cupientes*, 21 mart. 1542, et S. Cong. Concilii, 15 febr. 1704. — (4) S. Cong. Concilii 8 febr. 1721, 24 maii 1724, 26 jan. 1732, 7 febr. 1733, 23 sept. 1743, 18 maii 1747, 1 aug. 1750, 14 mart. 1795, 29 maii 1824, 26 jan. 1833, 1 febr. 1840, 25 aug. 1877, 20 maii 1882. — Excardinatio fieri non potest nisi justis de causis, ab episcopo, in scriptis, absolute et in perpetuum,et incardinatione in aliena diœcesi demandata. S. Cong. Concili, 20 jul. 1898.

trimonii (1), juxta taxationem synodalem vel morem vigentem in diœcesi in qua ordinandus habet domicilium (2).

1120 — Ille est episcopus proprius ratione *familiaritatis* cui clericus adhæret quasi vinculo familiæ et particeps fit vitæ et domus illius. Hoc privilegio uti possunt etiam S. R. E. Cardinales.

1121 — Ut episcopus ordinare queat aliquem titulo familiaritatis, requiritur ut iste sic commoratus fuerit per triennium, et episcopus statim, quacumque fraude cessante, beneficium reipsa eidem conferat (3), etiamsi familiaris jam provisus esset de alio beneficio.

1122 — Ordinatio fieri potest ratione familiaritatis sive ad ordines minores, sive ad majores, sive ad tonsuram, sed dispensationes super irregularitatibus concedi nequeunt (4).

1123 — Requiritur ut triennium sit completum et integrum, sed probabilius incipere potuit ante promotionem episcopi (5).

1124 — In testimonio ordinationis mentio fieri debet de litteris testimonialibus et de familiaritate.

1125 — Suspensionem per annum ab ordinum administratione incurrunt ordinantes alienum sub-

(1) Cap.3 tit. *de temporibus Ordinationum* IX, lib. I in VI. — (2) Const. Innocentii XIII, *Apostolici*, 23 maii 1723 et Benedicti XIII, *In supremo*, 23 sept. 1724. — (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 9 de Ref.; S. Cong. Concilii, 26 jul. 1697. — (4) Const. Innocentii XII, *Speculatores*, 4 nov. 1694. — (5) S. Cong. Concilii, 28 jul. 1580 et 9 nov. 1589.

ditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati sed minime sufficientis, absque litteris dimissorialibus episcopi proprii (1). — Clericus autem sic male ordinatus suspenditur a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio episcopo videbitur expedire (2).

1126 — Clerici diœceseos episcopi qui ex hac causa, suspensionis pœnæ subjacet, possunt recipere ordines ab aliis vicinis episcopis, etiam proprio irrequisito, dummodo probent factum suspensionis sui episcopi (3).

§ 2. — DE EPISCOPO PROPRIO REGULARIUM.

1127 — Ille est **episcopus proprius regularium,** infra cujus diœcesis limites existit domus religiosa in qua habitat ordinandus (4).

1128 — Ideo, superiores religiosi mittere debent subditos suos ordinandos cum litteris dimissorialibus (5) ad episcopum loci in quo habitant et non ad alium sed mittere non debent, nisi illos qui vota perpetua emiserunt (6). — Si monasterium vero sit vere nullius, id est extra territorium omnis alterius diœcesis, ordinatio spectat ad episcopum viciniorem (7).

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, § 3. — Cfr. cap. 2 tit. *de Temporibus ordinationum* IX, lib. I in VI. — (2) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 8. de Ref. — (3) Cap. 2 tit. *de Temporibus ordinationum* IX, lib. I in VI. — (4) Conc. Trid. sess. XXIII. cap. [illegible] de Ref.; Cfr. Decretum Clementis VIII, 15 mart. 1597; const. Innocentii XIII, *Apostolici*, 23 maii 1723, et Benedicti XIII. *In supremo*, 23 sept. 1724. — (5) Cap. 5 tit. *de Temporibus ordinationum* XI, lib. I Decretal.; const. Gregorii XIII. *In tanta*, 1 mart. 1573, et Innocentii XIII, *Apostolici*, 23 mai 1723. — (6) Const. Benedicti XIV, *Impositi nobis*, 27 febr. 1747; S. Cong. Concilii, 15 mart. 1596 et 22 febr. 1631. — (7) Decretum S. Cong. Ep. et Reg. *Auctis admodum*, 4 nov. 1892. Resp. ejusd. Cong. 12 febr. 1894 et 20 nov. 1895.

1129 — Si episcopus diœcesanus absens fuerit per longum tempus, vel si sedes sit vacans, Superior mittere potest subditos suos et litteras dimissoriales dare ad quoscumque episcopos, modo nulla adsit fraus (1).

1130 — Iisdem litteris dimissoriis jungi debet authentica attestatio vicarii capitularis vel curiæ episcopalis super vacantia Sedis vel super diuturna absentia episcopi (2). Secus episcopus ordinans incurrit pœnas latas contra ordinantes alienum subditum absque litteris dimissoriis.

1131 — Episcopus ordinans jus habet examinandi quoad doctrinam, regulares qui illi præsentantur ad ordines recipiendos (3).

1132 — Privilegia olim concessa quibusdam ordinibus religiosis, de facultate recipiendi ordines a quocumque episcopo abrogata fuerunt a concilio Tridentino, et non valent nisi fuerint deinde iterum concessa.

SECT. II — DE CIRCUMSTANTIIS ORDINATIONUM.

§ 1. — DE LITTERIS TESTIMONIORUM.

1133 — **Litteræ** *dimissoriales* illæ sunt quæ ab episcopo subditis suis dantur, ut ipsi ab alieno episcopo possint ordinari, — vel etiam illæ ex quibus

(1) Const. Benedicti XIV, *Impositi nobis*; Cong. Ep. et Reg. 18 aug. 1888. — (2) S. Cong. Concilii, 15 mart. 1596 et const. Benedicti XIV, *Impositi nobis*. — (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 12 de Ref.

aliquis clericus a jurisdictione sui episcopi liber dimittitur. Quæ ultimæ vocantur potius litteræ *excardinationis* vel *excorporationis*. Hæc testimonia dari debent semper in scriptis (1).

1134 — Litteræ *testimoniales* illæ sunt quæ fidem faciunt de susceptis ordinibus et de carentia impedimenti canonici quod prohibeat celebrationem divinorum aut receptionem aliorum ordinum.

1135 — Clericus nullo loco certo adscriptus non potest ab episcopo invitus retineri in sua diœcesi. Tenetur autem discedens petere licentiam ab episcopo, qui eam denegare non potest (2). Excipitur tamen casus necessitatis (3).

1136 — Si vero alicui ecclesiæ vel loco pio clericus sit adscriptus, non potest discedere invito episcopo (4). Si autem discessus petatur ex justis causis, v. g. ad ingressum in religionem, veniam episcopus denegare nequit (5).

1137 — Litteræ *commendatitiæ* illæ sunt quæ non tantum de legitima ordinatione et de carentia censuræ, sed etiam de moribus et de doctrina clerici alicujus, locorum Ordinariis testimonium præbent (6).

1138 — Episcopo proprio ratione domicilii, beneficii aut familiaritatis, semper exhiberi debent lit-

(1) Const. Urbani VIII, *Secretis*, 11 dec. 1624. — (2) S. Cong. Concilii, 5 dec. 1574 et 12 jun. 1604. — (3) S. Cong. Concilii, 15 mart. 1625. — (4) S. Cong. Concilii, 8 maii 1756. — (5) S. Cong. Concilii, 13 mart. 1749. — (6) Cap. 5 tit. *de Clericis non residentibus* IV, lib. III Decretal.

teræ testimoniales episcopi originis (1), saltem ut constet de legitimitate natalium.

1139 — Insuper necessariæ sunt litteræ testimoniales, quoties ordinandus commoratus fuerit in aliena diœcesi, tot temporis ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit (2); et episcopus ordinans absque his litteris, etiam suspensus est per annum ab ordinum collatione (3). — Episcopi est judicare de possibilitate contrahendi impedimentum et de diuturnitate temporis de quo supra actum est.

1140 — Non sufficit ad hoc declaratio generalis, sed specialis requiritur (4). Nec sufficiunt litteræ testimoniales impetratæ ad alium finem (5). Nec sufficiunt litteræ dimissoriæ episcopi originis vel domicilii, loco testimonialium pro suscipiendis ordinibus majoribus ab episcopo beneficii (6). Testimonium moderatoris Seminarii supplere non potest litteras testimoniales episcopi.

1141 — Episcopus ordinans potest, sed non tenetur, deferre attestationi datæ in litteris dimissoriis et jus habet cogendi ad novum examen subeundum, eos qui illi præsentantur ordinandi (7).

1142 — Litteræ dimissoriales dirigi queunt vel ad quemdam episcopum expresse nominatum, vel

(1) S. Cong. Concilii, 11 jun. 1881. — (2) S. Cong. Concilii, 17 maii 1826, 1 febr. 1840. — (3) Const. *Apostolicæ Sedis*, n. 3. — (4) S. Cong. Concilii, 18 jul. 1733. — (5) S. Cong. Concilii, 7 sept. 1739. — (6) S. Cong. Concilii, 14 dec. 1706, 9 sept. 1893 et 26 jan. 1895; Cong. S. Officii, 27 april. 1888 et 12 martii 1896. — (7) S. Cong. Concilii, 17 jan. 1673, 23 aug. 1721, et 15 jan. 1595.

indeterminate ad quemcumque episcopum cum Sancta Sede communionem habentem.

1143 — Litteras dimissoriales dare valent episcopi, superiores religiosi, non autem vicarii generales, nisi ex speciali commissione vel episcopo in remotis agente (1), nec capitulum et vicarii capitulares nisi pro tonsura (2), vel clericis arctatis, vel post annum elapsum a vacatione sedis.

1144 — Si capitulum indebite dederit litteras dimissorias, sic ordinati ad ordines majores suspensi sunt ipso jure, ad beneplacitum futuri prælati; ad ordines minores autem, nullo privilegio clericali gaudent.

1145 — Litteræ dimissoriæ vel testimoniales ad quemcumque ordinem et ad tonsuram gratis dari debent (3). Considerantur tanquam concessio facta illi qui est ordines recepturus. Revocari ideo non debent nisi ex causa gravi, et robur conservant etiam post mortem aut demissionem concedentis.

§ 2. — DE INTERSTITIIS.

1146 — Omnino prohibetur ordinatio quæ dicitur *per saltum*, id est ad ordinem superiorem, neglectis inferioribus. Cum sic promotis, si nunquam ministraverint, episcopus, ex legitima causa, poterit dispensare (4).

(1) Cap. 3 tit. *de Temporibus ordinationum* IX, lib. I, in VI. — (2) S. Cong. Concilii, 6 mart. 1634. — (3) S. Cong. Concilii, 17 maii 1826, 1 febr. 1840. — (4) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 14 de Ref.

1147 — Juxta legem antiquissimam **servari debent interstitia** in receptione ordinum. — Intercedere debet spatium unius anni inter ordines majores et inter acolythatum et subdiaconatum. Minores ordines, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo magis expedire videatur, etiam debent conferri (1).

1148 — Annus iste computandus est vel more ecclesiastico vel more civili, in favorem ordinati; v. g. a Sabbato Sancto unius anni ad Sabbatum Sanctum alterius anni, etiamsi non sit inter hosce dies annus completus, vel etiam vice-versa, v. g. a die 1ª aprilis ad eamdem diem anni sequentis, etiamsi aliquid deficiat in anno ecclesiastico (2).

1149 — Episcopi valent etiam dispensare super interstitiis, relate ad ordines majores, non ita tamen ut ipsis fas sit conferre eadem die duos ordines majores aut ordines minores cum subdiaconatu (3).

1150 — Dispensatio dari debet ab episcopo dimittente et non ab episcopo ordinante, quando ordinatio fit clerici alieni. — Episcopi vero ordinantis est dispensare regulares sibi præsentatos (4), sed, deferendo quoad causas dispensationis, judicio et attestationi superioris regularis ordinandi (5).

(1) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 11. de Ref. — (2) S. Cong. Concilii, 3 febr. 1595. — (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 13 de Ref. — (4) S. Cong. Concilii, 20 dec. 1581 et 6 jul. 1592. — (5) S. Cong. Concilii, 17 maii 1593 et 12 sept. 1609.

§ 3. — DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM.

1151 — Ordines majores conferre non licet nisi in Sabbatis Quatuor Temporum, in Sabbato Sancto et in Sabbato ante Dominicam Passionis (1).

1152 — Solus Papa potest hac de re concedere dispensationem ut celebretur ordinatio quæ dicitur *extra tempora* et quæ tunc solet fieri die festiva aut dominica (2).

1153 — Sub nomine diei festivæ intelligi debent festa de præcepto (3). Talis ordinatio tamen fieri potest in festis, olim de præcepto nunc suppresso, ut sunt v. g. festa apostolorum (4).

1154 — In ordinum collatione, diebus a jure prævisis, missa dici debet de feria cum oratione pro ordinandis, absque commemoratione festi occurrentis. Si autem ordinatio fiat extra tempora, missa est de festo currente.

1155 — Episcopus conferens absque dispensatione ordines extra tempora, subjacet pœnæ suspensionis ferendæ sententiæ ad tempus a collatione ordinum quos sic male contulit (5).

(1) Cap. 3 tit. *de Temporibus ordinationum* XI, lib. I Decretal.; cf. can. 1 dist. LXVII, 1ª parte Decreti. — Decretum Gelasii Papæ can. 7 dist. LXXV, 1ª parte Decreti. — (2) S. Cong. Concilii, 15 jan. 1689. — (3) S. Cong. Concilii, ibid — (4) S. Cong. Rituum, 12 nov. 1831, 16 mart. 1833, 13 mart. 1835, 18 febr. 1842; S. Cong. Concilii, 15 jan. 1689, 20 april. et 11 maii 1782. — (5) Cap. 2 tit. *de Temporibus ordinationum* XI, lib. I Decretal.

1156 — Ordines minores conferri possunt die dominica, vel die festiva quæ est aut quæ fuit de præcepto, et mane; tonsura vero, quacumque die vel hora (1). Ex consuetudine tantum immemorabili, licet conferre ordines minores post meridiem feriæ VI ante Sabbatum quo licet ordinationes celebrare (2).

1157 — Dies consecrationis episcopi debet esse dies dominica vel natalitia apostolorum, nisi Papa aliter indulserit.

1158 — Ordinationes sacrorum ordinum in cathedrali ecclesia vocatis præsentibusque canonicis, publice celebrari debent (3); si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, et dignior, quantum fieri potest, ecclesia semper eligatur (4).

CAPUT IX

De Matrimonio.

SECT. I. — DE NATURA ET SPECIEBUS MATRIMONII.

§ 1. — DE NATURA MATRIMONII.

1159 — Matrimonium considerari potest in suo *fieri* et in suo *esse*.

(1) Rubrica Pontificalis. — S. Cong. Rituum, 16 mart. 1833. — (2) Resp. ad episcopos Hispaniæ, 11 mart. 1720. — (3) S. Cong. Rituum, 16 sept. 1737. — (4) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 8 de Ref.

Definitur: Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens (1).

1160 — Essentia hujus conjunctionis in suo fieri est naturalis et religiosus *contractus;* in suo esse est *vinculum* existens inter conjugatos.

1161 — **Sacramentum matrimonii** definitur: contractus legitimus et indissolubilis inter virum et mulierem, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas, in ordine ad actus de se aptos ad generationem prolis, elevatus a Christo ad dignitatem sacramenti et ideo producens gratiam ex opere operato.

1162 — Matrimonium christianorum est sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum (2); et contractus ipse naturalis evectus fuit ad dignitatem sacramenti (3), ita ut causa efficiens matrimonii sit mutuus consensus per verba de præsenti expressus (4).

1163 — Exploratum est « in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem atque ideo non posse contractum verum et legitimum consiste requin sit eo ipso sacramentum » (5).

(1) Ita catechismus Conc. Tridentini, parte 2ª, cap. 8, ad tramites juris Justinianei. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 1. — (3) Const. Leonis XIII, *Arcanum,* 10 febr. 1880. — (4) Decretum Eugenii IV, ad Armenos; Epistola Pii VI, ad episcopum Agriensem, 11 jul. 1789. — (5) Const. Leonis XIII, *Arcanum,* 10 febr. 1880. — Cf. Syllabus, prop. 66 et 73; Benedicti. XIV, epistola *Redditæ,* 5 dec. 1744; const. Pii IX, *Ad Apostolicæ,* 22 aug. 1851, ejusd. epistola diei 19 sept. 1852 et allocutio *Acerbissimum,* 17 sept. 1852.

1164 — « Vinculum nuptiale est ex voluntate Dei intima, sic vehementer nexum ut a quopiam inter homines dissolvi aut detrahi nequeat » (1).

1165 — Matrimonium ex ipsa sui constitutione duntaxat inter duos esse debet (2), ita ut excludi debeat polygamia et a fortiori polyandria.

1166 — In matrimonio rite contracto inter christianos existit vera materia et vera forma hujusce sacramenti.

1167 — Sponsi considerari debent tanquam ministri sacramenti matrimonii ; non autem parochus qui est tantum testis qualificatus et auctorizabilis (3).

1168 — Præceptum grave imponitur sponsis ut et ipsi nuptialem benedictionem recipiant (4), quæ tamen considerari non debet tanquam materia aut forma sacramenti. — Ideo v. g. in regionibus missionum, suppleri debent istæ cæremoniæ quando sine ipsis, deficiente sacerdote, fuit contractum matrimonium (5).

1169 — Si mulier sit vidua, omitti debet non tantum benedictio nuptialis intra missam, sed etiam

(1) Const. *Arcanum*. Cf. Conc. Trid. sess. XXIV, can. 5 et 7; Syllabus, prop. 67. — (2) Const. *Arcanum* ; Conc. Trid. sess. XXIV, can. 2. — (3) Cf. can. 33 dist. XXIII, 1ª parte Decreti ; et can. 19, q. 2ª. causæ XXXV, 2ª parte Decreti ; const. Benedicti XIV, *Paucis abhinc* 19 mart. 1758, et Breve Gregorii XVI, 30 april. 1841. — (4) Decretum Cong. S. Officii, 31 aug. 1881. — (5) S. Cong. de Propag. fide, 20 febr. 1801, 27 jan. 1805 ; S. Cong. Concilii, 22 april. 1795 ; Cong. S. Officii, 14 nov. 1883.

missa propria pro sponso et sponsa (1). Hoc casu excepto, hæc missa dici debet, non tamen in dominicis, in festis de præcepto et duplicibus 1æ aut 2æ classis et in diebus duplicia excludentibus. Tunc, dici debet missa de festo, cum commemoratione missæ pro sponso et sponsa (2).

1170 — Quando nuptiæ celebrantur cum dispensatione tempore prohibito, non fit solemnis benedictio nuptiarum sive intra sive extra missam; nec celebratur missa nec dicuntur commemorationes pro sponso et sponsa (3).

1171 — Ecclesia jus habet constituendi impedimenta seu leges quibus, ad tuendam honestatem et sanctitatem conjugii, inter quasdam personas prohibetur matrimonium, sive sub pœna nullitatis sive sub pœna illiceitatis (4). Priora impedimenta vocantur dirimentia; posteriora vero prohibitiva.

1172 — Solius Ecclesiæ est judicare lites exortas sive de validitate matrimonii, sive de omnibus causis spectantibus ad matrimonium (5). — Auctoritas civilis tantum judicare valet consequentias legales matrimonii, ut v. g. id quod spectat ad dotem, ad divisionem hæreditatis, etc.

(1) Rubrica ritualis et S. Cong. Rituum, 3 mart. 1771. — (2) S. Cong. Rituum, 7 jan. 1784. — (3) S. Cong. Rituum, 31 aug. 1839 et 14 aug. 1858. — (4) *Syllabus*, prop. 68. — (5) Const. Pii VII *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794; epistola ejusdem ad episcop. Mutilensem, 16 sept. 1788; Encyclica Pii VIII, 21 maii 1829; Gregorii XVI, *Mirari* 15 aug. 1832; Syllabus, prop. 74; Const. Leonis XIII, *Arcanum*, 10 febr. 1880; Litteræ Cong. S. Officii 2 jul. 1892, de causis mixtarum nuptiarum

§ 2. — DE SPECIEBUS MATRIMONII.

1173 — Matrimonium quod vocatur *legitimum*, illud est quod contrahitur a non-baptizatis, servatis omnibus legibus naturalibus, divinis et humanis ab ipsis servandis.

1174 — Matrimonium quod vocatur *ratum*, illud est quod a fidelibus valide et legitime est contractum, sed quod adhuc est facto carnalis copulæ perficiendum.

1175 — Matrimonium quod dicitur *consummatum* illud est cui accessit factum copulæ carnalis inter eos qui jam matrimonium contraxerunt.

1176 — Matrimonium *verum* illud est quod fuit initum juxta omnes regulas a jure præscriptas, etiam inter infideles (1).

1177 — Matrimonium *putativum* illud est quod revera invalidum est et nullum, sed quod, penes communitatem, duobus aut saltem uno ex contrahentibus cum bona fide agentibus, habetur ut validum. Filii ideo, nati aut concepti, dum perdurat error, habentur ut legitimi.

1178 — Beneficium matrimonii putativi concedi non potest illis sponsis qui media non adhibuerunt a jure determinata, ad revelationem impedimento-

(1) Cap. 7t it. *de Divortiis* XIX, lib. IV Decretal.

rum, id est illis qui matrimonium clam contraxerunt, bannorum proclamatione omissa (1).

1179 — Matrimonium *præsumptum* illud erat quod in jure censebatur existens et probatum. Habebatur quando inter sponsos de futuro, etiamsi sponsalia fuissent conditionata (2), copula perfecta et libera intercesserat. Præsumptio oriens ex tali facto erat in foro externo, juris et de jure (3). Ex decreto S. Officii, 15 febr. 1892, statuitur ut deinceps copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris præsumptione conjugalis contractus censeatur nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur.

1180 — Matrimonium *ad morganaticam* illud est in quo sponsi, dignitate vel nobilitate inæquales, in eodem statu inæqualitatis permanent, ita ut filii participes non sint privilegiis et fortunæ illius sponsi, qui superioris est conditionis (4).

1181 — Remanent tamen obligationes juris naturalis parentum erga filios. — Istud pactum fieri non potest post matrimonium jam contractum et filiis jam natis.

1182 — Matrimonium *conscientiæ* illud est quod, permittente sed non favente Ecclesia, celebratur tantum coram parocho et testibus necessariis, ea

(1) Cap. 3 tit. *de clandestina Desponsatione* III, et cap. 2 tit. *Qui filii sint legitimi* XVII, lib. IV Decretal. — (2) Cap. 3 et 6 tit. *de Conditionibus* etc. V, lib. IV. Decretal. — (3) Cap. 30 tit. *De sponsalibus* I, lib. IV Decretal.; const. Benedicti XIV, *Satis vobis*, 27 nov. 1741. — (4) Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. 23.

lege ut evulgari et manifestari non debeat (1).

1183 — Inscriptio hujus matrimonii fieri debet in libro speciali asservando in cancellariis episcopalibus ubi inscribenda est etiam nativitas filiorum qui ex iisdem matrimoniis procreantur.

1184 — Ad essentiam matrimonii necessario requiritur sponsorum **consensus** « sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale » (2).

1185 — Consensus iste debet esse verus et si esset simulatus aut fictus, matrimonium revera non existeret (3). Sed consensus expressus et datus semper præsupponitur verus, et contrarium est difficillimæ probationis.

1186 — Generatim consensus matrimonialis exprimi debet per verba; sed validum est matrimonium quocumque modo exprimatur ista concors et obligatoria sponsorum voluntas (4).

1187 — Si autem verba obscura sint et dubia, recurrendum est ad communem verbi intelligentiam (5).

1188 — Consensus exprimi potest *per procuratorem*. Sed requiritur 1° ut procurator speciale ad hoc mandatum habuerit; 2° ut mandatum adimpleat per se et non per subdelegatum, nisi hoc

(1) Const. Benedicti XIV, *Satis vobis*, 27 nov. 1741. — (2) Cap. 26 tit. *De sponsalibus* I, lib. IV Decretal. Cf. can. 2, q. 2ª causæ XXXVII, 2ª parte Decreti. — (3) Cfr. S. Cong. Concilii, in causa *Parisien.* 7 mart. 1885. — (4) Ita de surdis et mutis cap. 23 et 25 ejusd. tit. I. — (5) Cap. 7 ejusd. tit.

fuerit expresse prævisum; 3° ut serventur leges essentiales ad validitatem matrimonii; 4° ut mandatum non fuerit revocatum, tempore quo consensus exprimitur a procuratore (1).

1189 — Procurator potest esse cujuscumque sexus vel ætatis, vel conditionis, et matrimonium concluditur quando ipse exprimit consensum mandantis et simul recipit acceptationem et consensum alterius partis.

1190 — Non repugnat ut consensus matrimonialis exprimatur per *litteras*; sed difficilis est observatio, in hoc casu, decreti Tridentini de præsentia parochi et testium.

1191 — Illicitum videtur, sed validum est matrimonium sub *conditione*, quæ definitur: circumstantia dispositioni adjecta, a cujus existentia pendere volumus ejusdem valorem.

1192 — Matrimonium contractum sub conditione de præsenti aut de præterito, statim validum est vel non. Usus autem illius suspendi debet usquedum exploratum fuerit utrum conditio reapse sit verificata vel non.

1193 — Conditio de futuro honesta et possibilis suspendit effectum matrimonii donec verificetur, quin probabiliter necessaria sit renovatio consensus (2).

1194 — Conditiones inhonestæ vel turpes appo-

(1) Cap. 9 tit. *De procuratoribus* XIX, lib. I in VI. — (2) Cap. 3 et 5 *De conditionibus* etc. V, lib. IV Decretal.

sitæ ab utroque sponso et adversantes naturæ matrimonii, scilicet si contrariæ sint bono prolis, fidei vel sacramenti, reddunt matrimonium nullum (1), modo sint deductæ in pactum (2).

1195 — Conditiones impossibiles et simpliciter inhonestæ censentur non adjectæ (3). Sed præsumptio in favorem matrimonii est juris tantum et non de jure.

SECT. II. — DE SPONSALIBUS.

1196 — **Sponsalia** sunt promissio vera, libera, mutua atque signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas determinatas et jure habiles.

1197 — Hæc promissio non debet esse simplex propositum, sed adnexam habere debet intentionem sese obligandi.

1198 — Promissio debet esse vera et non ficta: sponsalia enim sunt contractus qui absque consensu existere non potest.

1199 — Promissio debet esse libera; ac probabilius eadem libertate quæ, ex lege ecclesiastica, requiritur ad matrimonium.

1[illegible] Promissio debet esse mutua, id est cum accep[illegible]one et repromissione. — Promissio quidem

(1) 7 ejusd. tit. — (2) Litteræ Cong. S. Officii ad episcopum. Bosnensem. — (3) Cap. 1 tit. *De conditionibus* etc. V, lib. IV. Decretal.; Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. XIII, cap. 22; Epistola Pii VI, ad episcopum Pragensem, 11 febr. 1787; Instructio S. Officii, 18 dec. 1872.

potest esse ex parte unius tantum et vim obtinere, sed tunc deficit character sponsalium.

1201 — Promissio debet esse signo sensibili expressa; sed valida sunt sponsalia, quocumque modo exprimatur consensus (1).

1202 — Si signa consensus sint dubia, præsumptio est pro libertate et contra existentiam sponsalium. Theoretice, copula habita post sponsalia dubia, præsumptionem inducit in favorem sponsalium; sed practice, in singula specie, a judice caute procedendum est.

1203 — Promissio debet esse inter personas determinatas, alioquin potest esse vera promissio, non autem contractus sponsalium (2).

1204 — Promissio debet esse inter personas jure habiles; ideo sponsalia valida non sunt quando inter sponsos existit impedimentum dirimens aut prohibitivum.

1205 — Attamen sponsalia iniri possunt a pueris ante ætatem requisitam ad matrimonium (3); sed hæc sponsalia dissolvi nequeunt ex mutuo consensu, antequam unus saltem ex sponsis attigerit pubertatem (4).

1206 — Probabilius valent sponsalia inita, existente impedimento temporaneo, vel impedimento

(1) Resp. S. Pœnitentiariæ, 24 nov. 1865. — S. Cong. Concilii respondit tamen, die 31 jan. 1880, in Hispania invalida esse sponsalia quæ contrahuntur absque publica Scriptura, necnon et 11 april 1891. — (2) Cap. unico tit. *De sponsalibus* I, lib. IV in VI. — (3) Cap. 4 et 5 tit. *de Desponsatione impuberum* II, lib. IV. Decretal. — (4) Cap. 7 et 8 ejusd. tit.

de quo Pontifex solet dispensare; sed tamen contraria videtur praxis tribunalium Curiæ Romanæ (1). Invalida judicantur sponsalia contracta cum impedimento ligaminis, propter honorem matrimonio existenti debitum.

1207 — Sponsalia possunt esse ecclesiastica, civilia vel clandestina, prout exprimitur consensus coram auctoritate ecclesiastica aut civili, aut absque ullis testibus (2).

1208 — Matrimonium quod dicunt *civile* (3) nullo modo æquivalet sponsalibus, et eorum consequentias judiciales minime parit (4).

1209 — Sponsalia valida producunt impedimentum publicæ honestatis (5), necnon et inter sponsos obligationem gravem adimplendi promissionem, tempore statuto vel rationabili (6).

1210 — Qui renuit obligationem sponsalium adimplere, per censuras compelli potest (7); sed sæpe sæpius a judice monendus est potius quam cogen-

(1) S. Cong. Concilii, 26 jan. 1709, 12 dec. 1733, 2 maii 1857, 22 feb. 1862 et 27 jan. 1863. — (2) Episcopus declarare non potest invalida sponsalia quæ non contrahuntur coram parocho. (S. Cong. Concilii, jul. 1865.) — (3) De matrimonio sic dicto civili, Cf. epistola Benedicti XIV, *Redditæ nobis*, 5 dec. 1744, Breve Pii VI, ad episc. Lucionen 28 maii 1793, Encyclica Pii VII, 17 feb. 1809, responsio S. Pœnitentiariæ diei 15 jan. 1866, et Litteræ S. S. Leonis XIII, episcopis provinciarum Taurinensis, Vercellensis et Januensis 1 jan. 1879. — (4) Litteræ Leonis XIII, 17 mart. 1879. — (5) Cap. 4, 5 et 6 tit. *de Desponsatione impuberum* II, lib. IV Decretal. — (6) Cap. 2 *De sponsalibus* I, lib. IV. Decretal. — (7) Cap. 10 ejusd. tit.

dus, cum tales coactiones difficiles soleant exitus habere (1).

1211 — Sponsalia etiam jurata disolvi possunt: 1º per mutuum sponsorum dissensum (2); 2º per ingressum in religionem vel susceptionem ordinum ab uno ex sponsis; 3º per absentiam vel discessum unius (3); 4º per subsequens matrimonium, non autem per secunda sponsalia de futuro (4); 5º per fornicationem subsequentem vel antecedentem non cognitam, et per aliud crimen commissum; 6º per notabilem mutationem supervenientem aut antecedentem non cognitam in persona aut in rebus unius ex sponsis (5); 7º per impedimentum superveniens et 8º per dispensationem pontificiam.

1212 — Causæ litigiosæ de sponsalibus judicari debent a tribunalibus ecclesiasticis (6).

SECT. III. — DE BANNIS.

1213 — Matrimonium, antequam celebretur publice **denuntiari** debet ter a proprio contrahentium

(1) Cap. 17 ejusd. tit.; Conc. Trid. sess. XXV, cap. 3 de Ref.; S. Cong. Concilii, 30 mart. 1760, 5 april. 1831, et passim. — (2) Cap. 2 ejusd. tit.; cap. 25 tit. *De jurejurando* XXIV, lib. II Decretal. — (3) Cap. 5 ejusd. tit. I. — (4) Cap. 22 et 31 ejusd. tit. — (5) Cap. 25 tit. *De jurejurando* XXIV, lib. II Decretal. et cap. 3 tit. *De conjugio leprosorum* VIII, lib. IV Decretal. — (6) Cf. *Syllabus*, Prop. 74.

parocho, tribus diebus festivis continuis, in ecclesia intra missarum solemnia (1).

1214 — Hanc legem violantes puniuntur privatione privilegii matrimonii putativî.

1215 — Si sponsus et sponsa diversas parochias incolant, denuntiatio facienda est in utraque ecclesia parochiali, et celebrari non potest matrimonium ab uno ex parochis, nisi recepta attestatione alterius de proclamationibus factis et de carentia impedimenti.

1216 — Parochianis gravis imponitur obligatio revelandi impedimenta quæ cognoscunt.

1217 — Quodam manifestato impedimento, etiam dubio, parochus relationem facere debet ad episcopum, cujus est causam cognoscere, nisi sponsi proposito sponte ambo renuntient.

1218 — Denuntiationes fieri debent in locis ubi sponsi habent vel nuper habuerunt domicilium aut quasi-domicilium.

1219 — Si denuntiationibus jam peractis, matrimonium per longum tempus differatur, banna iterum sunt publicanda.

1220 — Episcopus et ille qui Ordinarii potestate pollet, et etiam vicarius generalis, valet super una vel tribus denuntiationibus dispensare (2), non

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1 de Ref. matr. — Cf. cap. 3 tit. *De clandestina Desponsatione* III, lib. IV Decretal.; Const. Benedicti XIV, *Nimiam*, 18 maii 1743, et *Paucis abhinc*, 19 mart. 1748. —(2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1 de Ref. matr.

autem sine causa sufficienti; quæ causa gravissima esse debet ut dispensetur de tribus publicationibus (1).

1221 — Rationes quæ sufficientes videntur sunt: timor scandali aut de matrimonio malitiose impediendo; necessitas seu evidens utilitas de matrimonio citius celebrando; notitia jam aliunde sufficiens; eleemosyna data.

1222 — Si timeatur malitiosa oppositio, permittit Concilium Tridentinum ut denuntiationes fiant post celebrationem, sed ante consummationem matrimonii (2).

1223 — Si sponsus et sponsa sint diversæ diœcesis, debet dari ab utroque episcopo dispensatio bannorum aut saltem testimonium de statu libero (3).

1224 — Episcopi est judicare utrum sufficientes sint denuntiationes factæ diebus festivis suppressis aut extra missam, v. g. in officio vespertino (4).

SECT. IV. — DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§ 1. — DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

1225 — Impedimenta dirimentia sunt leges quæ ita matrimonium prohibent ut inter personas ab

(1) Const. Benedicti XIV, *Satis vobis*, 27 nov. 1741, et *Nimiam*, 18 maii 1743. — (2) Sess. XXIV, cap. 1 de Ref. matr. — (3) S. Cong. Concilii, 20 april 1606; tamen plurimi auctores habent tanquam sufficientem dispensationem datam ab uno ex Ordinariis. Cfr. Instructio Cong. S. Officii, 29 aug. 1890, ad episcopos Orientales de statu libertatis ante nuptias probando. — (4) S. Cong. Concilii, 25 oct. 1586, 17 jan. 1780, 19 april. 1823, 7 april. 1862.

istis legibus prævisas, nullum sit matrimonium, nullum vinculum et nullum sacramentum.

1226 — Solius est Ecclesiæ statuere nova impedimenta dirimentia matrimonium christianorum, ad perficiendas leges hac de re conditas a jure divino, naturali aut positivo (1).

1227 — Nomine Ecclesiæ hic designantur : Papa, concilium generale, consuetudo universalis, non autem concilium particulare et a fortiori episcopus singularis.

1228 — Plura impedimenta matrimonii statuta fuerunt per consuetudinem. Hæc praxis nunc debet considerari tanquam irrationabilis (2).

1229 — Propter impedimentum dubium vel non sufficienter probatum, prohiberi debet matrimonium celebrandum (3).

1230 — Matrimonium autem jam contractum non declaratur solutum et libertas sponsis non restituitur nisi post probatam existentiam impedimenti. Nam, nisi rationabiles et fide dignæ probationes accedant, non potest bene contractum matrimonium irritari (4).

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 3 et 4; Pius VI, Breve ad episcopum Mutilensem, 16 sept. 1788; const. Leonis XIII, *Arcanum*; Litteræ Pii VI ad archiepiscopum Trevirensem, 2 febr. 1782; const. Pii IX, *Multiplices,* 10 jun. 1851, et *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851; Syllabus, prop. 68, 69, et 70. — (2) Const. Benedicti XIV, *Singulari nobis*, 9 febr. 1749. — (3) Cap. 12 tit. *de Sponsalibus* I, lib. IV Decretal. — (4) Cap. 3 et 5 tit. *De eo qui cognovit etc* XIII, lib. IV Decretal.

1231 — **Impedimenta dirimentia** enumerantur sequentibus versibus:

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
> Ætas, affinis, si clandestinus et impos,
> Si mulier sit rapta loco nec reddita tuto;
> Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

1232 — Ista impedimenta ordinarie præcedunt matrimonium, sed aliquando supervenire possunt post illius celebrationem. In priori casu impediunt matrimonium; in posteriori autem non solvunt vinculum indissolubile matrimonii, sed illius impediunt usum, saltem ex parte illius conjugis qui, sive innocenter sive ex culpa, auctor est impedimenti.

1233 — Ex istis impedimentis, quædam existunt ex jure divino naturali vel positivo; de istis nunquam dari potest dispensatio et obligant etiam infideles. — Alia existunt ex jure ecclesiastico, et super illis dari potest dispensatio, nec eisdem tenentur qui baptizati non sunt.

1234 — Ex illis etiam alia sunt temporanea, ut v. g. ætatis, alia perpetua ut v. g. ordinis.

1235 — Alia etiam sunt absoluta, scilicet ab una persona ad omnes alias ut v. g. voti solemnis, et alia relativa, scilicet ab una persona ad aliam, sed non ad omnes, v. g. consanguinitatis vel affinitatis.

1236 — Alia demum sunt correlativa, id est proveniunt ex relatione unius personæ adalteram, v. g. consanguinitatis, et alia personalia id est quæ oriun-

tur ex qualitate unius personæ, v. g. ordinis vel voti.

1237 — **Error** circa personam, sive antecedens sive concomitans sit, reddit matrimonium nullum, ex jure naturali (1).

1238 — Error circa fortunam aut qualitatem personæ non dirimit matrimonium, nisi redundet in eam qualitatem qua sola futuri conjugis persona determinatur (2).

1239 — Error circa nomen personæ, cæteroquin notæ et præsentis, non obstat validitati matrimonii (3).

1240 — Ex lege ecclesiastica statuente impedimentum **conditionis**, nullum est matrimonium contractum quando homo liber contrahit cum servo quem, per errorem, putat esse liberum (4).

1241 — Per **votum** solemne religionis, non autem per votum simplex, dirimitur matrimonium postea contrahendum et dissolvitur matrimonium ratum et non consummatum (5).

1242 — Ecclesia autem tribuere potest votis simplicibus eamdem vim quam habent vota solemnia (6).

(1) Can. *Quod autem*, causæ XXIX, q. 1. 2ª parte Decreti. — (2) Cf. Instruct. archiep. Viennensis pro judiciis ecclesiasticis imperii Austriaci. — (3) Cap. 26 tit. *De Sponsalibus* I, lib. IV Decretal. ; S. Cong. Concilii, 9 aug. 1817. — (4) Cap. 2 et 4 tit. *De conjugio servorum* IX, lib. IV Decretal. — (5) Cap 3, 6 et 7 tit. *Qui clerici vel voventes* etc. VI, lib. IV Decretal ; cap. un. tit. *De voto et voti redemptione* XV, lib. III in VI ; Conc. Trid. sess. XXIV, can. 9. — (6) Const. Gregorii XIII, *Quanto fructuosius*, 1 febr. 1583, et *Ascendente domino*, 25 maii 1584.

1243 — Contra quosdam doctores optimæ notæ, affirmandum est et tenendum in praxi hoc impedimentum esse juris ecclesiastici.

1244 — Vota simplicia emissa nunc a viris religiosis per triennium, ad tramites const. Pii IX *Neminem latet* (1), non constituunt impedimentum dirimens matrimonium nec vim habent dissolvendi matrimonium ratum. Qui effectus obtineri nequeunt nisi per emissionem votorum solemnium (2).

1245 — **Cognatio** triplex est, scilicet naturalis, spiritualis et legalis.

1246 — Cognatio *naturalis* seu *consanguinitas* est vinculum existens inter personas quæ ab eodem stipite seu progenitore per carnalem generationem descendunt.

1247 — Consanguinitas est in linea recta inter personas quarum una ab altera fuit genita. Linea dicitur ascendens, si considerentur personæ relate ad progenitores, nempe a filio ad patrem, ad avum etc. Dicitur autem descendens, si considerentur personæ attendendo ad filios generatos, nempe a patre ad filium, ad nepotem, etc.

1248 — Consanguinitas est in linea collaterali seu transversa quando existit inter personas quarum una ab altera non gignitur, sed quæ omnes

(1) Vide supra art. 771. — (2) S. Cong. Episc. et Regul. . . . . 1861.

eumdem auctorem habent, ut fratres, sorores, consobrini etc.

1249 — Linea collateralis dicitur æqualis, quando consanguinei æqualiter distant a stipite communi: inæqualis vero quando unus est altero proximior a stipite, ut v. g. vir et filia fratris ejusdem.

1250 — Stipes dicitur illa persona a qua descendunt illi omnes inter quos existit cognatio. — Gradus est distantia unius ad alterum. — Linea est series seu ordo personarum. — Totius vero consanguineorum collectionis descriptio, dicitur arbor genealogica seu consanguinitatis.

1251 — Dicuntur fratres germani illi qui ex eodem patre et ex eadem matre nati sunt; consanguinei vero si ex eodem patre tantum; uterini autem si unice ex eadem matre.

1252 — Quoad matrimonium, nihil interest an consanguinitas orta sit ex legitimo vel ex illegitimo concubitu.

1253 — Tres sunt regulæ statutæ ad gradus consanguinitatis dignoscendos:

In linea *recta*, tot sunt gradus quot sunt personæ, una deempta: vel, tot sunt gradus quot sunt generationes.

In linea *collaterali æquali*, quot gradibus a proximo stipite communi personæ distant, tot gradibus distant inter se.

Relate ad prohibitionem matrimonii, in linea *collaterali inæquali*, tot sunt gradus quot sunt

personæ, in serie longiori, deempto stipite. Sic v. g. si vir et mulier distent a stipite gradu inæquali a quarto ad quintum, non existit impedimentum, quia attenditur tantum ad gradum remotiorem (1).

1254 — In linea recta, consanguinitas impedit matrimonium in quolibet gradu, et probabilius ex jure naturali (2).

1255 — In linea collaterali, probabiliter ex jure divino, existit impedimentum inter fratrem et sororem, et, in hoc casu, nullam concedit Ecclesia dispensationem, et talia matrimonia contracta inter infideles considerat tanquam nulla (3).

1256 — Jure ecclesiastico, impedimentum consanguinitatis extenditur usque ad quartum gradum, sive agatur de cognatione legitima aut illegitima (4). — Validum est autem matrimonium ab infidelibus contractum, si inter ipsos existat gradus ab Ecclesia tantum prohibitus; et si iidem convertantur, separari non debent (5).

1257 — Cognatio *spiritualis* est propinquitas quædam existens inter quasdam personas, et proveniens ex collatione vel ex susceptione baptismi aut confirmationis.

(1) Cap. 9 tit. *De consanguinitate* XIV, lib. IV Decretal. — (2) Nicolaus I, in responso ad consulta Bulgarorum. — (3) Cap. 8 tit. *De divortiis* XIX, lib. IV Decretal.; const. Benedicti XIV, *Ætas anni*, 11 oct. 1757. — (4) Cap. 8 tit. *De consanguinitate* XIV, lib. IV Decretal. — (5) Cap. 4 ejusd. tit. et cap. 15 *Qui filii sint legitimi* XVII, lib. IV Decretal.

1258 — Impedimentum istud existit inter personas designatas sequentibus formulis :

Si agatur de baptismo : Levans, levatus, levatique parentes.
Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes.

Si agatur de confirmatione : Tangens, tactus, tactique parentes.
Signans, signatus, signatique parentes (1).

1259 — Istud impedimentum est juris ecclesiastici ; ideo Papa super eo dispensare potest (2), et ab illo non ligantur infideles.

1260 — Ut existat hoc impedimentum, requiritur ut sacramentum valide conferatur, etiam modo privato et absque solemnitatibus (3), et ut patrinus et matrina revera tangant filiastrum, cum animo ita se habendi. — Non vero eodem detinentur parentes si ex necessitate vel ignorantia, filium proprium baptizaverint. — Patrinus confirmationis non contrahit impedimentum, nisi ipse sit baptizatus (4), neque contrahit patrinus per procurationem (5), neque patrinus adhibitus tantum ad supplendas cæremonias baptismi (6).

1261 — Cognatio *legalis* est propinquitas personarum proveniens ex adoptione.

1262 — Istud impedimentum est juris ecclesiastici et provenit ex lege civili confirmata a lege ec-

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 2 de Ref. matr. ; const. S. Pii V, *Cum illius*, 28 nov. 1566. — (2) Difficilius conceditur dispensatio inter levantem et levatum. — (3) S. Cong. Concilii, 15 mart. 1678 et 20 sept. 1820. — (4) S. Cong. Concilii, 13 jun. 1654. — (5) S. Conc. Concilii, 20 april. 1589, 13 sept. 1721, et 11 jun. 1881. — (6) S. Cong. de Propag. fide, 11 sept. 1779 et 21 jan. 1856 ; S. Cong. Concilii, 13 april. 1669 et 16 maii 1711 ; Cong. S. Officii, 7 martii 1894.

clesiastica. Probabilius extensio illius determinatur a jure civili, juxta diversas nationes (1).

1263 — Ex impedimento **criminis** prohibetur matrimonium inter personas quæ mutuo conspiraverunt de homicidio conjugis unius ex illis, post patratum revera homicidium et si egerunt cum animo futuri matrimonii.

1264 — Item, matrimonium prohibetur inter adulteros si adulterium formale concurrat cum promissione futuri matrimonii (2), vel cum attentatione matrimonii vel cum homicidio conjugis (3).

1265 — Impedimentum istud est juris ecclesiastici, et ideo non ligat infideles, nisi indirecte, id est nisi unus ex complicibus sit baptizatus (4). Probabiliter ligat etiam ignorantes (5).

1266 — Perfecta **disparitas cultus** est impedimentum dirimens matrimonium, scilicet inter fidelem et infidelem non baptizatum. Dicendum est illud etiam vigere in regionibus ethnicorum.

1267 — Hoc impedimentum fuit constitutum ex jure ecclesiastico. Est ideo juris humani (6), et

(1) Nicolaus I, in responso ad Consulta Bulgarorum, cap. 2 ; Resp. S. Pœnitentiariæ ad vic. gener. Petrocoriensem . . . . 1826 ; Cong. S. Officii, 16 april. 1761 et 23 febr. 1853. — (2) Const. Benedicti XIV, *Redditæ nobis,* 5 dec. 1744. — (3) Tit. *de eo qui duxit* etc. VII, lib. IV Decretal. — (4) S. Cong. de Propag. fide, 23. aug. 1852. — (5) Ita ex praxi Datariæ et Pœnitentiariæ quæ nunquam attendunt, in dispensationum concessione, utrum impedimentum fuerit scienter vel ignoranter contractum. Hanc dispensationem semper dant absolute et non ad cautelam. — (6) Const. Benedicti XIV, *Singulari nobis*, 9 febr. 1749. Cfr. Resp. Cong. S. Officii, 25 maii 1897, de matrimonio impiorum qui *liberi pensatores* dicuntur.

dispensatur aliquando propter gravissimas rationes, et modo adsint tres sequentes conditiones, 1º ut cohabitatio fidelis cum infideli careat periculo perversionis, nullamque Creatoris injuriam provocet; 2º ut promissio fiat de prolis catholica educatione; 3º ut spes sit de conversione infidelis (1).

1268 — Impedimentum istud ligat omnes baptizatos, et ideo etiam hæreticos (2).

1269 — Imperfecta disparitas cultus, scilicet inter catholicum et hæreticum, est impedimentum prohibitivum tantum matrimonii. Urget etiam acatholicos commorantes in regionibus infidelium.

1270 — Potest de eo etiam dispensatio dari, sub iisdem conditionibus supra enuntiatis (3). Nunquam autem licet tales nuptias celebrare coram ministro hæretico veluti sacris addicto, et quasi parochi munere fungente (4). Qui autem, omissa promissione de educatione filiorum, matrimonium contraxit, et deinde facti pœnitet, debet recurrere ad episcopum eidemque præscriptas cautiones præstare (5).

(1) Instructio Secretariæ Status, 15 nov. 1858; Cong. S. Officii, 1786; S. Cong. de Propag. fide, 4 febr. 1804; Const. Clementis XIII, *Quantopere*, 16 nov. 1763. — (2) Const. Benedicti XIV, *Singulari nobis*, 9 febr. 1749. — (3) Cf. Instructio data jussu Benedicti XIV, 4 nov. 1741; Litteræ Clementis XIII episcopo Argentoratensi, 16 nov. 1773; instructio Secretariæ Status jussu Pii IX, 15 nov. 1858; epistolæ Pii VI, *Exequendo nunc*, 12 jul. 1782; Pii VII, *Etsi fraternitatis*, 8 oct. 1803; Pii VIII, *Litteris altero*, 25 mart. 1830; Instructio ejusdem Pontificis, 27 mart. 1830; Gregorii XVI, 12 sept. 1834, 30 april. et 22 maii 1841; Litteræ S. Officii, 4 dec. 1862. — (4) Cong. S. Officii, 21 april. 1847 et 17 febr. 1864. Decretum fuit renovatum 27 mart. 1878; S. Cong. de Prop. fide, 12 martii 1897. — (5) Cong. S. Officii, 12 mart. 1881, 12 dec. 1888 et 18 maii 1892; S. Pœnitent., 27 junii 1893.

1271 — Matrimonia hæc mixta debent celebrari juxta Tridentinam legem de clandestinis matrimoniis; sed parochus debet passive tantum assistere, nec banna publicare, nec ornamenta sacerdotalia induere, nec benedictionem impertiri, et a fortiori missam celebrari non permittitur (1).

1272 — **Vis** seu **metus** relative gravis, extrinsecus, injustus et directus ad matrimonium est, saltem jure humano, impedimentum dirimens matrimonii (2).

1273 — Si metus occultus remanserit et si Tridentinæ dispositiones jam fuerint observatæ, validum redditur matrimonium per spontaneam sponsorum cohabitationem, quin necessaria sit renovatio consensus expressi coram testibus (3).

1274 — Si autem impedimentum sit publicum, matrimonium cum metu contractum non convalidatur per cohabitationem, etiam metu finito, nisi iterum consensus exprimatur, adhibita rursus forma a Tridentino præscripta (4).

1275 — Gravitas metus dijudicanda est juxta circumstantias a tribunalibus ecclesiasticis. — Aliunde

(1) Epist. Pii VI ad archiep. Mechliniensem, 13 jul. 1783; instructio S. Officii 20 dec. 1838 et 17 jan. 1872 et Secretariæ Status 15 nov. 1858. — (2) Cap. 14, 15 et 28, tit *De sponsalibus* I, lib. IV Decretal. — (3) Cf. rescriptum S. Pii V ad episc. Hieracensem. — (4) S. Cong. Concilii, 30 sept. 1719, 21 jul. 1869, 9 jul. 1881. Cf. Benedicti XIV, *Institutiones eccles.* 87, n. 6.

sub anathematis pœna, ipso facto incurrenda, prohibetur ne quis cogat, directe vel indirecte subditos suos, quominus ipsi libere matrimonium contrahant (1).

1276 — Ex jure ecclesiastico, nulla sunt matrimonia attentata ab illis qui **ordinem** majorem receperunt, saltem in Ecclesia latina (2). — Attamen in Ecclesia græca, licitus est usus matrimonii antea contracti, quod est latinis clericis majoribus prohibitum (3).

1277 — Impedimento **ligaminis** vinciuntur illi qui jam legitimi matrimonii, etiam rati, vinculo obstringuntur (4). — Impedimentum est juris divini et ideo ligat infideles (5).

1278 — Ad secundas nuptias licite ineundas, requiritur certitudo de morte primi conjugis (6).

1279 — Parochi et curiæ episcopalis est investigare utrum, in dubio, probationes sufficientes existant ad hoc ut conjux superstes possit novas

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 9 de Ref. matr. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 9.; Cfr. can. 8 dist. XXVII, 1ª parte Decreti; cap. 1 tit. *De clericis conjugatis* III, lib. III, et cap. 1 et 2 tit. *Qui clerici vel voventes* etc. VI, lib. IV Decretal; const. Benedicti XIV, *Eo quamvis*, 4 maii 1745. — (3) Can. Synod. Ancyranæ (can. 8 dist. XXVIII, 1ª parte Decreti.) — (4) Conc. Trid. sess. XXIV, can. 2; cap. 1, 2, 3 et 5 tit. *De sponsa duorum* IV, lib. IV Decretal. — (5) Cap. 8 tit. *De divortiis* XIX, lib. IV Decretal. — (6) Cap. 19 tit. *De sponsalibus* I, et cap. 2 tit. *De secundis nuptiis* XXI, lib. IV Decretal.; Const. Clementis X, *Cum alias*, 21 aug. 1670; Instructio Pii VI, 11 jul. 1789 et S. Officii, 13 mai 1863; 14 martii 1868, 27 april. 1887, 6 maii 1891 et 20 jul. 1898.

nuptias contrahere. Attendantur ad hoc instructiones datæ a S. Congregatione Inquisitionis, jussu Clementis X, die 21 aug. 1670.

1280 — Lite pendente de validitate matrimonii, stricte prohibetur litigantibus ne aliud contrahant matrimonium. Istud autem valeret, si deinde prius matrimonium fuisset declaratum invalidum (1).

1281 — **Justitia publicæ honestatis** est propinquitas proveniens sive ex sponsalibus validis (2), sive ex matrimonio rato, inter unum sponsum et consanguineos alterius, etiam illegitimos (3).

1282 — Impedimentum hoc oriens ex sponsalibus validis, etiam occultis (4), prohibet matrimonium inter sponsum et consanguineos alterius sponsi in primo gradu et non amplius (5). Est juris ecclesiastici et perpetuum eo sensu quod perseverat etiam post dissolutionem sponsalium (6).

1283 — Idem impedimentum, pariter juris ecclesiastici, oritur etiam ex matrimonio rato inter christianos (7), etiam invalido, v. g. defectu ætatis (8), dummodo invaliditas non proveniat ex de-

(1) Cap. 18 tit. *De Sponsalibus* I, et cap. 4 tit. *De Sponsa duorum* IV, lib. IV Decretal. — (2) Cap. 8 tit. *De Sponsalibus* I, et cap. 4. 5 et 6 *De desponsatione impuberum* II, lib. IV Decretal. — S. Cong. Concilii, 28 febr. 1885. — (3) Can. 14 et 15 q. 2. causæ XXVII, 2ª parte Decreti; cap. 4 tit. *De sponsalibus* I, lib. IV Decretal.; Const. S. Pii V, *Ad Romanum,* 1 jul. 1568. — (4) S. Pœnitentiaria, 10 sept. 1834. — (5) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 3 de Ref. matr. — (6) S. Cong. Concilii, 6 jul. 1658. — (7) Cong. S. Officii, 19 april. 1837. — (8) Cap. 3 tit. *De sponsalibus* I, lib. IV Decretal.

fectu consensus, et nuptias dirimit usque ad quartum gradum inclusive (1).

1284 — Dubium est an impedimentum istud producant nuptiæ nullæ propter clandestinitatem, sed certum est matrimonium, quod dicunt civile, illud non parere (2).

1285 — Ratione **ætatis**, ex jure naturali, impossibile est matrimonium inter infantes qui ratione sufficienti non potiuntur ad contractum eliciendum.

1286 — Jure ecclesiastico (3), prohibetur matrimonium inter impuberes, scilicet ante annum XIV pro viris (4) et XII pro feminis (5), nisi malitia videatur in eis supplevisse ætatem (6), id est nisi constet sponsos, ad pubertatem de facto pervenisse.

1287 — Matrimonium cum tali impedimento celebratum resolvitur in sponsalia (7). — Ad matrimonium nullum ob ætatis impedimentum convalidandum, requiritur ut illud iterum contrahatur, servata forma Tridentina, quamvis prius eadem forma servata fuisset (8).

1288 — **Affinitas** est propinquitas quæ provenit ex carnali copula intercedente inter virum et mu-

(1) Const S. Pii V, *Ad Romanum,* 1 jul. 1568. — (2) S. Cong. Concilii, 13 mart. 1879. — (3) Const. Benedicti XIV, *Magnæ nobis*, 29 jun. 1748. — (4) Cap. 3 et 10 tit. *De desponsatione impuberum* II, lib. IV Decretal. — (5) Cap. 6 ejusd. tit. — (6) Cap. 9 ejusd. tit.; Const. Benedicti XIV, *Magnæ nobis*, 29 jun. 1748. — (7) Cap. 14 ejusd. tit. I; cap. un. ejusd. tit. I, in VI; S. Cong. Concilii, jul. 1587. — (8) S. Cong. Concilii, 10 mart. 1583.

lierem sive licite sive illicite, et quæ existit inter unum ex istis et consanguineos alterius. « Quia enim constat eos duos esse in carne una, communis illis utraque parentela censenda est. » (1)

1289 — Affinitas verificatur etiam quando mulier invita patitur stuprum (2), et potest præcedere vel consequi matrimonium.

1290 — Affinitas habet stipitem, gradus et lineas sicut consanguinitas. Stipitem constituunt per modum unius, vir et mulier inter quos intercessit copula.

1291 — Impedimentum affinitatis dirimit matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum, si proveniat ex copula licita (3); in primo et secundo tantum, si proveniat ex fornicatione (4).

1292 — Probabilius hæc restrictio spectat ad affinitatem vel prævenientem vel subsequentem matrimonium (5); non autem, saltem probabiliter, si agatur de matrimonio putativo (6).

1293 — Affinitas consequens matrimonium illud non dissolvit, sed privat adulterum tantum jure petendi debitum conjugale (7).

1294 — Impedimentum affinitatis est juris eccle-

(1) Can. 14 q. 2ª, causæ XXXV; Cf. can. 3 q. 5, causæ XXXVI, 2ª parte Decreti. — (2) Cap. 6 tit. *De eo qui cognovit* etc. XIII, lib. IV Decretal. — (3) Cap. 8 tit. *De consanguinitate et affinitate* XIV, lib. IV Decretal. — (4) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 4 de Ref. matr. — (5) Const. S. Pii V, *Ad Romanum*, 1 jul. 1568. — (6) S. Cong. Concilii, 3 dec. 1607, 15 april. 1762. — (7) Cap. 1, 2, 4, 6, 10 et 11 tit. *De eo qui cognovit* XIII, lib. IV Decretal.

siastici, probabiliter etiam in primo gradu lineæ rectæ (1). Sed in hoc casu, dispensatio nunquam datur nisi quando copula fuerit illicita, et intercessit post nativitatem utriusque ex sponsis, ne quis exponatur periculo conjunctionis cum propria prole.

1295 — Impedimentum istud non ligat infideles; sed affinitas contracta durante infidelitate, vincit infidelem post suam conversionem ad fidem (2).

1296 — Quoad **clandestinitatem**, Concilium Tridentinum omnino inhabiles reddit ad contrahendum illos qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt (3).

1297 — Parochi nomine designantur ii omnes qui auctoritate parochiali insigniuntur sive immediate ut parochi, sive mediate ut episcopi, Ordinarii, vicarii generales in suis diœcesibus, Romanus Pontifex in toto orbe, Legati a latere in suis provinciis, Cardinales in suis ecclesiis titularibus, Capitulum seu vicarius capitularis, sede vacante.

1298 — Delegatio quæ ab istis dari potest debet esse expressa et specialis (4), et delegatus debet esse Sacerdos.

1299 — Valide assistit matrimonio parochus ha-

(1) Cf. S. Cong. de Propag. fide, 16 jan. 1797, 16 jul. 1799, 18 jul. 1799, 22 jan. 1802, 10 aug. 1841. — (2) S. Cong. de Prop. fide, 28 aug. 1852 et 10 junii 1895 ; Cong. S. Officii, 26 aug. 1891 et 14 dec. 1898. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1 de Ref. matr. — (4) Const. Benedicti XIV, *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743. Cfr. causæ *Colonien*, *Cameracen* et *Varsavien*., coram S. Cong. Concilii, de delegatione generali ad matrimonium, et Cong. S. Officii, 7 sept. 1898.

bens titulum coloratum, vel etiam excommunicatus aut suspensus, modo non sit sua parochia privatus, vel etiam prohibente episcopo (1). Nec requiritur ut parochus sit sacerdos (2).

1300 — Si vicarius parochialis, ut fit in Galliis, delegationem accipiat ab episcopo et non a parocho, valide assistit matrimonio, etiam contra prohibitionem parochi (3).

1301 — Ad validitatem matrimonii sufficit assistentia proprii parochi unius ex sponsis, sive sponsi sive sponsæ (4).

1302 — Ille est proprius parochus unius ex sponsis, in cujus parœcia iste habet domicilium vel quasi-domicilium. (Cf. art. 44) (5)

1303 — Intentio manendi requisita ad domicilium vel quasi-domicilium probari potest vel ex habitatione per unum mensem (6), vel aliis modis v. g. ex contractu locationis, ex obligatione manendi, ex acquisitione domus etc., et domicilium vel quasi-domicilium sic probatum, judicari potest statim acquisitum (7).

1304. — Quoad illos qui in nulla parochia domicilium habent, parochis præceptum est ne illo-

(1) S. Cong. Concilii... 1581, et 2 mart. 1595. — (2) S. Cong., Concilii... dec. 1593 et 23 mart. 1653. — (3) S. Cong. Concilii 19 sept. 1789. — (4) S. Cong. Concilii... 1571. — (5) Const. Benedicti XIV, *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758; instructio S. Officii, 7 jun. 1867 et 2 maii 1877. — (6) Const. Benedicti XIV, *Paucis abhinc*. — Cf. S. Cong. Concilii, 11 jul. 1885. — (7) Responsio S. Cong. Inquisitionis episcopis Angliæ, 2 maii 1877, et Instructio ejusd. Cong. ad. episc. Fœderatorum Statuum Americæ, 7 jun. 1867, et resp. diei 9 nov. 1898.

rum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam assistendi obtinuerint (1).

1305 — Nulla specialis qualitas ætatis vel sexus requiritur in testibus; possunt etiam esse vel coacti, vel inviti, vel fortuiti.

1306 — Testes etiam debent adhiberi quando propter defectum parochi vel propter impossibilitatem illum adeundi, fit impossibilis executio legis Tridentinæ de clandestinitate (2). Sed conjuges tenentur quamprimum benedictionem nuptialem recipere, illam etiam quæ infra missam impertitur nisi agatur de vidua, quæ jam in aliis nuptiis hanc benedictionem recepit. Monendi sunt tamen hanc benedictionem pertinere ad ritum et ad solemnitatem, non autem ad substantiam et validitatem conjugii (3).

1307 — Specialem modum promulgationis hujus legis decrevit Concilium Tridentinum, ita ut « hujusmodi decretum in unaquaque parœcia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parœcia factæ numerandos » (4).

1308 — Ibi præsumitur facta promulgatio decreti Tridentini, ubi constat jam usu receptum fuisse ut

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 7 de Ref, matr.; S. Cong. Concilii, 27 mart. et 26 jun. 1886; Resp. S. Officii, 9 nov. 1898. — (2) Epistola Pii VI, ad episc. Lucionensem 28 maii 1795, et ad episc. Gebennensem, 3 sept. ejusd. anni. — (3) Cong. S. Officii, 31 aug. 1881. — (4) Sess. XXIV, cap. 1 de Ref. matr.; S. Cong. Concilii, 27 mart. 1672 et 22 april. 1795.

coram parocho et duobus vel tribus testibus contrahatur matrimonium, in executionem ejusdem decreti (1).

1309 — Lex Tridentina de clandestinitate non viget igitur in locis ubi non adhuc fuit publicata.

1310 — Quibusdam aliis regionibus extensum est, per derogationem, privilegium hujus decreti non observandi, ex constitutionibus Benedicti XIV, Clementis XIII, Clementis XIV, Pii VI, Pii VII, Leonis XII et Gregorii XVI (2).

1311 — Illi qui habitant in loco ubi lex Tridentina viget et transeunt, in fraudem legis, in locum ubi non viget, debent in hoc ultimo loco, acquirere saltem quasi domicilium ut a lege solvantur (3).

1312 — Illi vero qui de loco ubi lex non viget, transeunt in locum ubi lex viget, etiam debent in hoc ultimo loco, acquirere saltem quasi-domicilium, ut matrimonium contrahere queant.

1313 — Illi vero qui de loco ubi non viget lex Tridentina, transeunt in locum ubi lex pariter non viget, possunt statim contrahere matrimonium, inobservato decreto Tridentino.

1314 — Si una pars non tenetur ad legem de

(1) Ita Const. Benedicti XIV, *Paucis abhinc* citans plures decisiones S. Congregationis Concilii præsertim diei 26 sept. 1602. — (2) Apud Vechiotti *Institutiones Canonicæ* lib. V cap. VIII § 107. — (3) Const. Urbani VIII, *Exponi nobis*, 14 aug. 1627 ; Benedicti XIV ; *Paucis abhinc*, 19 mart. 1758; S. Cong. Concilii, 16 sept. 1883, 12 aug. 1882 et 4 maii 1878; Cong. S. Officii, 7 jun. 1867, 6 maii 1887 et 6 april. 1895.

clandestinitate, derogatio facta legi valet etiam et pro altera parte.

1315 — In regionibus ubi promulgata est lex Tridentina, matrimonia sive mixta sive hæreticorum inter se, spreta eadem lege celebrata, judicantur invalida, sed hæc opinio « nec undique vera est, nec satis tuta, neque idcirco in praxi, quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda (1). »

1316 — Habeat parochus librum in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat (2).

1317 — **Impotentia** est inhabilitas seu incapacitas ad habendam copulam perfectam seu de se aptam ad generationem prolis. Minime confundi debet cum sterilitate (3).

3118 — Potest esse temporanea vel perpetua, absoluta vel relativa, antecedens vel consequens relate ad matrimonium.

1319 — Jure naturali (4), impotentia perpetua et antecedens, sive absoluta sive relativa, est impedimentum dirimens matrimonium.

1320 — Regulæ ad judicandum de hisce causis traduntur in constitutione Benedicti XIV, *Dei mise-*

(1) Const. Benedicti XIV, *Matrimonia*, 4 nov. 1741, et *Singulari*, 9 febr. 1749. Litteræ Pii VII ad archiep. Mogunt. 8 oct. 1803. Cf. S. Cong. Concilii 19 jan. 1889. Cfr. Decreta S. Cong. Negotiorum extraord., 12 jan. 1890 et S. Officii, 2 jun. 1892, de matrimonio hæreticorum in insula Melitensi. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 1 de Ref. matr. — (3) Cf. tit. *De frigidis* etc. XV, lib. IV Decretal. — Cf. Decisio Cong. S. Officii, 3 febr. 1887. — Const. Sixti V, *Cum frequenter*, 22 jun. 1587; Cong. S. Officii 3 febr. 1887 et 30 jul. 1890.

ratione (1). Nunc autem mos est ut procedatur, probando matrimonium consummatum non fuisse, et recurrendo ad summum Pontificem pro obtinenda dissolutione matrimonii simpliciter rati.

1321 — **Raptus** definitur: Violenta mulieris abductio de loco in locum, intuitu contrahendi matrimonii.

1322 — Impedimentum existit etiam quando mulier consensit raptui, vel etiam illum sollicitavit (2).

1323 — A concilio Tridentino sancitum est inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. — Teneatur præterea raptor, mulierem raptam sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. Ipse etiam subjacet pœnæ excommunicationis latæ sententiæ (3).

1324 — Impedimentum istud, in quantum differt ab impedimento vis et metus, est juris ecclesiastici, et applicari debet stricte juxta verba definitionis supra enuntiatæ.

§ 2. — DE IMPEDIMENTIS PROHIBITIVIS.

1325 — Quatuor sunt **impedimenta prohibitiva**

(1) Cf. S. Cong. Concilii, 15 dec. 1877. Cfr. responsio S. Cong. Concilii, ad Arch. Varsaviensem, 16 junii 1894. — (2) S. Cong. Concilii, 24 jan. 1608 et 3 mart. 1714. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 6 de Ref. matr.

quæ reddunt matrimonium illicitum, non vero nullum. Sic enumerantur:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

1326 — Ex præscriptione Concilii Tridentini, non licet celebrare solemniter nuptias ab Adventu D. N. J. C. usque in diem Epiphaniæ, et a feria V Cinesum usque ad Dominicam post Pascha, inclusive (1).

1327 — Dispensatione impertita ab episcopo super hoc impedimento, nuptiæ celebrentur sine solemnitate, ideoque privatim, sine missa et benedictione, temporibus prohibitis (2).

1328 — Ex ratione gravi, sed in jure speciali modo non prævisa, matrimonium prohiberi potest cuidam individuæ personæ, sive a parocho, sive ab episcopo, sive a Romano Pontifice, sive etiam a parentibus.

1329 — In primo casu, parochus agit tantum ut pater, nec potest per censuram prohibitioni suæ sanctionem apponere, quod præstare potest episcopus vel officialis (3). Solus vero Papa potest prohibere sub pœna nullitatis; hoc non præsumitur, et sententia pontificalis hac de re judicatur prohibitiva et non dirimens, nisi contrarium omnino pateat.

(1) Sess. XXIV, can. 11 et cap. 10 de Ref. matr. Cfr. can. 8 et seqq. q. 4, causæ XXXIII, 2ª parte Decreti. — (2) S. Cong. Rituum, 23 jun. 1853. — (3) Const. Benedicti XIV, *Etsi minime*, 7 febr. 1742; S. Cong Concilii, 10 febr. 1629.

1330 — Qui contraxit sponsalia, tenetur sub peccato, ad promissionem adimplendam.

1331 — Qui votum emisit simplex castitatis, virginitatis aut non nubendi, tenetur ad obligationem quam sponte contraxit.

1332 — Pœnæ infligendæ contrahentibus matrimonium, spreto interdicto Ecclesiæ, non determinantur a jure. Relinquuntur determinandæ ex arbitrio episcopi, juxta diversas species. Ita etiam puniri debent testes tali matrimonio assistentes (1).

§ 3. — DE DISPENSATIONIBUS IN RE MATRIMONIALI.

1333 — Ex jure proprio, episcopi nulla fruuntur potestate ad dispensandum super impedimentis matrimonii. Indulta ipsis concessa strictam patiuntur interpretationem, præsertim si agatur de impedimentis publicis, et semper mentio fieri debet de concessione obtenta.

1334 — Excluditur ideo extensio ad casus similes nec valet argumentum a majori ad minus. Indultum autem delegationis est aliquid favorabile et recipi debet juxta totam suam extensionem. Episcopus autem dispensare nequit nisi cum propriis subditis existentibus in sua diœcesi, actu quo conceditur gratia. Illi vero qui sic dispensati fuerunt, possunt in aliena diœcesi matrimonium celebrare (2).

1335 — Episcopus dispensare potest super impe·

(1) S. Cong. Concilii, 10 febr. 1679. — (2) Cong. S. Officii, 22 nov. 1865.

dimento proveniente ex voto non reservato summo Pontifici, v. g. ex voto non nubendi aut ex voto temporaneo castitatis.

1336 — Potestas dispensandi concessa episcopo unius ex sponsis, valet relate ad alterum, si impedimentum sit correlativum (1).

1337 — Facultas concessa episcopis dispensandi in matrimoniis nulliter contractis, non videtur respicere matrimonia sic dicta civilia.

1338 — Ex consuetudine, dici potest episcopos dispensare valere super plerisque impedimentis prohibitivis et super impedimentis dirimentibus, in casu necessitatis, et quando est periculum in mora et quando adiri non potest Romanus Pontifex, si impedimentum sit ex illis de quibus Papa solet dispensare et præsertim quando impedimentum est occultum.

1339 — Affirmandum est episcopum posse dispensare in foro interno super matrimonio jam contracto quando adsunt sequentes conditiones: 1° si matrimonium fuerit contractum cum omnibus solemnitatibus debitis; 2° si fuerit celebratum bona fide; 3° si fuerit consummatum; 4° si impedimentum sit occultum; 5° si facile adiri non potest Sancta Sedes, v. g. ob paupertatem conjugum; 6° si separatio putatorum conjugum fieri nequeat absque scandalo.

1340 — Impedimentum occultum illud est quod

(1) Declaratio S. Pœnitentiariæ 4 sept. 1839.

nullo modo probari potest et de quo periculum non est in foro externo detegatur. — Impedimentum quasi-occultum illud est quod paucis notum est.

1341 — Dispensationes concedi debent absque nimia facilitate et absque nimia severitate (1). Præcipuæ rationes quæ sufficiunt ad dispensationem concedendam, sic enumerari queunt : 1° angustia loci; 2° ætas fœminæ superadulta ; 3° deficientia seu incompetentia dotis; 4° lites super successione bonorum vel earumdem grave aut imminens periculum; 5° paupertas viduæ; 6° bonum pacis; 7° nimia, suspecta, periculosa familiaritas; 8° copula et prægnantia, ideoque legitimatio prolis; 9° infamia mulieris; 10° revalidatio matrimonii; 11° periculum matrimonii mixti; 12° periculum incestuosi concubinatus; 13° periculum matrimonii civilis; 14° remotio gravium scandalorum ; 15° cessatio publici concubinatus; 16° excellentia meritorum (2). Demum attendi potest ad *compositionem* seu ad eleemosynam faciendam.

1342 — In rescripto dispensationis concessæ, apponi solet clausula: *Si vera sunt exposita* vel *si preces veritati nitantur*. Ideo sincere exponi debent series circumstantiarum facti, et exprimi causæ quæ rationabilem reddant actum superioris dispensantis. Sufficere videtur ad valorem dispensationis ut causæ

(1) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 18, de Ref. — (2) Instructio data a S. Cong. de Propag. fide, 9 maii 1877 ; S. Pœnitentiaria, 12 april. 1889 et 8 april. 1890; et Dataria Apost., 19 junii 1895.

enuntiatæ in precibus verificentur tempore executionis dispensationis (1).

1343 — Si aliqua ex causis expositis vera non fuerit, et hoc cum mala fide, dispensatio est nulla, ratione axiomatis : Mendax precator careat imprecatis (2). — Si autem ex bona fide sint causæ expositæ aliæ veræ et aliæ falsæ, attendendum est ad valorem singularum, necnon et ad complexum earumdem, quia facilius vel difficilius concedi potest dispensatio, juxta diversa motiva et propter multiplicitatem impedimentorum.

1344 — Si nupturientes ligentur duplici impedimento, quorum unum solvi potest ab episcopo, alterum autem tantum a Romano Pontifice, inanis fit potestas episcopi, et tota res committenda est supremæ Curiæ Romanæ.

1345 — Si plurima existant impedimenta, omnia sunt declaranda, nec sufficit manifestare remotiorem gradum consanguinitatis, sed mentio fieri debet etiam de gradibus proximioribus, si multiplicia sint impedimenta consanguinitatis, vel affinitatis (3).

1346 — Ad validitatem dispensationis requiritur dispensati consensus qui censetur deficere si in supplicationibus reticeatur aliquid necessario exprimendum, aut si exprimatur aliquid falsum.

1347 — Si dispensatio postuletur de impedimento

(1) Const. Pii IV, *Cum sicut*, 5 dec. 1566. — (2) Cap. 20 tit. *de Rescriptis* III, lib. I Decretal. — (3) Const. S. Pii V, *Sanctissimus*, 20 aug. 1566 ; Cong. S. Officii, 11 martii 1896 et 18 aug. 1897.

consanguinitatis, hæc necessario exprimi debent: utrum impedimentum sit occultum vel publicum; gradus consanguinitatis; unitas vel multiplicitas ejusdem; linea recta vel transversa; æqualitas vel inæqualitas gradus. — De affinitate, eadem dicenda sunt,et etiam utrum proveniat ex causa licita vel illicita.

1348 — Ex decreto S. Congregationis Inquisitionis, diei 25 junii 1885, abrogatæ sunt leges antea vigentes de necessitate declarandi factum copulæ incestuosæ inter postulantes, et declaratum fuit dispensationes matrimoniales post hoc concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras esse.

1349 — Si dispensatio postuletur de matrimonio jam contracto, id exprimi debet, et etiam utrum contractum fuerit bona fide, utrum fuerit consummatum, et si hoc factum fuerit ad dispensationem facilius obtinendam.

1350 — Difficilius conceditur dispensatio quando jam fuit celebratum matrimonium, existente impedimento, cum spe obtinendi dispensationem quæ cæterum non solet concedi (1).

1351 — Super matrimonio aliquando dispensatur per **sanationem in radice** quæ est derogatio legi ecclesiasticæ inducenti impedimentum ex tunc seu

(1) Const. Pauli IV *Ab ea ipsa die,* 9 dec. 1555.

a tempore præstiti ex utraque parte veri consensus, una cum irritatione omnium effectuum a lege irritante productorum.

1352 — Sanatio in radice locum habere non potest nisi quando nullitas provenit ex impedimento juris ecclesiastici. — Ex praxi Curiæ Romanæ, videtur quod dari potest aliquando (1) sanatio in radice illis qui matrimonium civile tantum inierunt.

1353 — Non requiritur ut ambo sponsi adhuc viventes sint.

1354 — Sed requiritur 1° ut sit radix matrimonii, scilicet ut sponsorum conjunctio habeat speciem externam matrimonii; 2° ut consensus saltem ex una parte perseveraverit; 3° ut sit urgens et gravissima causa.

1355 — Sanatio non videtur haberi posse quando uterque sponsus, vel alteruter, cognita nullitate matrimonii, suam vindicat libertatem.

1356 — Duplex **tribunal** Romæ existit ad concedendas matrimoniales dispensationes : Dataria scilicet et Pœnitentiaria. — Nequeunt autem dispensationes concedere, dum vacat Sancta Sedes (2).

1357 — A *Dataria* petuntur dispensationes pro foro externo ab impedimentis publicis, vel ab iis quæ prævidentur mox publica fieri.

1358 — A *Pœnitentiaria* generatim in foro inter-

(1) S. Cong. Concilii, 15 jan. 1723, — (2) Pius IV, const. *In sublimi*, 4 maii 1562 et Benedictus XIV, const. *Pastor bonus*, 13 april. 1744.

no, et pro impedimentis occultis, dispensatio expeditur : per exceptionem vero in foro externo, sed erga pauperes tantum.

1359 — In Dataria solvenda est taxa pecuniaria, non autem in Pœnitentiaria.

1360 — Ordinarie, a Dataria dispensatio conceditur in forma commissoria; scilicet per delegationem, facultas fit Ordinario episcopo vel vicario generali, ut ipse dispensationem concedat.

1361 — Ea vero quæ gratiose conceduntur, suum non sortiuntur effectum, nisi prius ab Ordinario summarie tantum et extrajudicialiter cognoscatur expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere (1).

1362 — Delegatus apostolicus potest quidem aliis subdelegare facultatem complendi actus ordinarios executionis, non vero potest delegare ipsam executionem, nisi fuerit ipsi specialis facta facultas. Debet etiam ipse mandato delegationis fideliter inhærere, nec agere potest nisi antea expleverit omnia quæ in clausulis delegationis exprimuntur.

1363 — Ille qui ita est delegatus debet, 1° inquirere de veritate causarum; 2° declarare coram partibus ac testibus tolli impedimentum matrimonii; 3° litteras dispensationis in registris diœcesanis scribere; 4° mandare parocho ut nuptiis assistat. Id vocatur dispensationis *fulminatio* (2).

(1) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 5 de Ref. — (2) Cfr. decisiones S. Pœnit., 27 april. 1886 et 15 jan. 1894.

1364 — Executor delegatus debet omnino gratis operam suam præstare sub pœna excommunicationis reservatæ summo Pontifici, necnon et nullitatis executionis litterarum dispensationis (1).

1365 — Dispensationes concessæ a Pœnitentiaria pro foro interno committuntur confessario.

1366 — Quando partes detinentur multiplici impedimento quorum unum est publicum et aliud occultum, dispensatio simul postulatur a Dataria et a Pœnitentiaria. In priori supplicatione, tacetur de impedimentis occultis; in posteriori vero, mentio fit de omnibus. Dispensatio sic concessa a Dataria est invalida; sed validatur a Pœnitentiaria per formulam : *Perinde valere.*

1367 — Facultas facta est Ordinariis ut dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi bene visam, ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad Sanctam Sedem, super impedimentis quantumvis publicis, matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, exceptis illis quæ ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniunt (2).

(1) S. Cong. Concilii, 28 jan. 1882. — Cf. tamen ead. S. Cong. in causa *Cameracen.* 12 aug. 1882, et in causa *Pampilonen.* 18 april. 1885. — (2) Litteræ Cong. S. Officii, 20 febr. 1888, et ita etiam in art. seqq. usque ad art. 1374. Hæc facultas potest ab Ordinariis habitualiter subdelegari parochis tantum, sed pro casibus in quibus deest tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi, et periculum est in mora. — Cong. S. Officii, 9 jan. et 1 mart. 1889, et 18 martii 1891.

1368 — Si quis autem sic dispensationem obtinuerit super impedimento proveniente ex ordine diaconatus aut subdiaconatus, vel ex solemni religiosa professione, et deinde convaluerit, Ordinarius debet S. Officii congregationem de hoc certiorem facere, et curare ut scandalum, si quod adsit, meliori modo removeatur.

1369 — Ex iisdem litteris, sancitum est dispensationes omnes matrimoniales fori externi committendas esse oratorum Ordinario, vel Ordinario loci.

1370 — Appellatione *Ordinarii* veniunt episcopi, administratores seu vicarii apostolici, prælati seu præfecti habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales, seu vicarius capitularis vel legitimus administrator.

1371 — Vicarius capitularis seu administrator eas quoque dispensationes Apostolicas exequi potest quæ remissæ fuerunt episcopo seu vicario ejus generali seu officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi cœperint, sive non. — Vicissim, sede deinde provisa, episcopus vel ejus vicarius in spiritualibus generalis seu officialis, exequi poterit dispensationes quæ vicario capitulari exequendæ remissæ fuerant, sive hic illas exequi potuerit, sive non. Cessante vero vacatione sedis, novus episcopus suscipere debet dispensationem exequendam statu quo actu reperitur, si dispensatio remissa fuerit Ordinario; si autem commissa fuerit vicario capi-

tulari, nova executio dispensationis perficienda est (1).

1372 — Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissæ, exequendæ sunt ab illo Ordinario qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sanctam Sedem, sive sit Ordinarius originis, sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum, etiamsi sponsi in aliam diœcesim discesserint, monito tamen, si ipse judicaverit expedire, Ordinario loci in quo matrimonium contrahitur.

1373 — Ordinario prædicto fas est, si id expedire judicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum præsertim in cujus diœcesi sponsi actu degunt. (2)

Sect. V. — DE DISSOLUTIONE MATRIMONII.

1374 — Matrimonium dissolvi potest sive quoad vinculum, id est perfecte, sive imperfecte tantum, seu quoad torum et habitationem.

1375 — Quoad **vinculum**, matrimonium *ratum et consummatum* dissolvi non potest nisi in unico casu scilicet ratione *privilegii* quod dicitur *fidei* seu *paulini*.

1376 — Locus datur huic privilegio quando, de duobus conjugibus infidelibus, unus convertitur ad

(1) S. Pœnitentiaria, 3 avril. 1886. — (2) Litteræ Cong. S. Officii, 20 febr. 1888.

fidem et alter renuit habitare cum sponso converso absque contumelia Creatoris (1).

1377 — Sponsus conversus potest uti hoc privilegio, etiam diu post suam conversionem et postquam, licet jam conversus, iterum habitaverit cum suo sponso, qui deinde renuit in pacifica cohabitatione conversari (2).

1378 — Pars renuens bis debet interpellari, et hoc requiritur ad validitatem secundi conjugii (3), et solummodo post ipsius negativam responsionem, pars fidelis potest ad alia vota transire. Sed Romanus Pontifex potest, in casu impossibilitatis vel magnæ difficultatis, dispensare ab ista duplici interpellatione facienda (4). Imo, hæc facultas dispensandi delegari potest a Romano Pontifice (5).

1379 — In hoc casu tunc solummodo matrimonii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad secundas nuptias (6).

1380 — Quoad vinculum, matrimonium simpliciter *ratum* dissolvitur per solemnem *professionem religiosam* unius ex sponsis (7).

1381 — Nomine professionis religiosæ intelligitur emissio trium votorum solemnium in religione et

(1) I Cor. VII, 15; can. 3 et seqq. q. 1ª et quæst. 2ª causæ XXVIII 2ª parte Decreti; cap. 7 tit. *De divortiis* XIX, lib. IV Decretal. — (2) Cong. S. Officii, 1 aug. 1759. — (3) S. Cong. Concilii, 23 jan. 1603; S. Cong. de Propaganda fide, 17 jan. 1722. — (4) S. Cong. Concilii, 17 jan. 1722. — (5) Ita factum a R.R. P.P. Gregorio XIII, 25 jan. 1565, et Benedicto XIV const. *In Suprema Catholicæ,* 16 jan. 1745. — (6) S. Cong. Concilii. . . . 1726 et Cong. S. Officii, 1 aug. 1759. — (7) Cap. 2 et 14 tit. *De conversione conjugatorum* XXXII, lib. III Decretal. et conc. Trid. sess. XXV, can. 6.

in domo ad hoc approbata, et attendendo pro viris ad constitutionem Pii IX *Neminem latet* (1).

1382 — A jure, conceditur recenter nuptis qui cogitant de religione profitenda ut per bimestre cogi non possint ad officia conjugalia. Tempus istud computandum est a die quo terminus præfixus fuit a judice (2).

1383 — Quoad vinculum, matrimonium *ratum* etiam dissolvi potest per *pontificiam auctoritatem*.

1384 — Motiva gravia propter quæ talis dispensatio concedi potest, sunt : disparitas notabilis quæ supervenit in qualitate sponsorum ; gravis timor futuri scandali ; lepra aut morbus alteri ex conjugibus superveniens ; gravis dissensus inter sponsos ; et imprimis dubium de validitate matrimonii propter defectum in consensu aut propter existentiam impedimenti dubii.

1385 — Quoad **torum et cohabitationem**, sed non quoad vinculum, imperfecte dissolvi potest matrimonium propter adulterium vel propter hæresim unius conjugis (3) ; propter præsens, non autem præteritum, corporis, famæ vel honoris periculum ; propter sævitias et furorem unius et periculosam cohabitationem.

1386 — Ut adulterium sit motivum sufficiens ad separationem tori, requiritur : 1° ut sit formale non

(1) Declaratio diei 25 jan. 1861; cf. art. 771 et 1244. — (2) Cap. 7 tit. *De conversione conjugatorum* XXXII, lib. III Decretal. — (3) Cap. 2 tit. *De divortiis* XIX, lib. IV Decretal.

autem simpliciter materiale; 2° ut crimen sit totum ex parte unius conjugis, ita ut si alter illud promoveat aut consulat aut in illud consentiat, ipse non poterit obtinere separationem; 3° ut pars innocens non condonaverit injuriam nec expresse nec tacite v. g. per cohabitationem pacificam et copulam deinde libere habitam: hæc vero condonatio non admittitur si adulterium fuerit pluries vel habitualiter commissum; 4° ut altera pars eodem crimine non fuerit maculata, quia tunc videtur esse injuriarum compensatio.

1387 — Quoties agitur de dissolutione, sive quoad vinculum, sive quoad torum, causæ videndæ sunt a **judicibus ecclesiasticis** (1).

1388 — Conjuges licet certi sint de existentia impedimenti dirimentis, non possunt tamen, neque ex consilio confessarii, a matrimonio secedere. Quod enim ab Ecclesia celebratum est, a judicio ejusdem Ecclesiæ dissolvi debet (2).

1389 — In favorem matrimonii celebrati præsumendum est in foro externo, quoadusque contrarium plene probetur (3). Si autem in conscientia certi essent sponsi de existentia inpedimenti quod sufficienter probari nequit, ipsi uti nequeunt ma-

(1) Cap. 1 et 6 eod. tit.; *Syllabus* prop. 74; Encyclica Leonis XIII, *Arcanum*. — (2) Cap. 3 tit. *De divortiis* XIX, lib. IV Decretal. — (3) Cap. 22 tit. *De Testibus* XX, lib. II Decretal. et cap. 1 tit. *De consanguinitate* XIV, lib. IV Decretal.

trimonio, etiamsi judex ecclesiasticus id præciperet.

SECT. VI — DE MODO PROCEDENDI IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS (1)

1390 — Causæ matrimoniales committi nequeunt nisi episcopis et eorum delegatis, non autem judicibus inferioribus (2). Tales autem causæ tractari possunt a vicario generali aut a vicario capitulari.

1391 — A judice ecclesiastico, exclusis aliis, videri debent causæ quæ spectant vinculum, et quæstiones connexæ, ut v. g. de legitimitate prolis, de sponsalibus, de impedimentis, de denuntiationibus et de separatione quoad vinculum et quoad torum.

1392 — Quæstiones circa jura civilia, ut. v. g. de dote, de successione, de hæreditate, si principaliter tractentur, spectant ad judices civiles. Possunt etiam a judice ecclesiastico videri si accidentales sint, id est si appareant tanquam consectaria quæstionis spectantis ad tribunal ecclesiasticum.

1393 — Crimina relativa ad matrimonium, ut adulterium vel incestus, directe puniri possunt a tribunalibus civilibus, si nempe causa proponatur ad punitionem delinquentis. Poterit etiam in reos sævire judex ecclesiasticus, si occasione causæ, jus

(1) Consulatur hac de re const. Benedicti XIV, *Dei miseratione*, 3 nov. 1741, et Instructio data a S[a] Cong. Concilii, 22 aug. 1840 et imprimis instructiones datæ anno 1883 a S. Cong. de Propaganda fide, directæ ad episcopos Statuum Fœderatorum Americæ et instructio directa ad episcopos Rituum Orientalium et probata a Cong. S. Officii, 20 jun. 1883. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 20 de Ref.; Resp. S. Officii ad arch. Coloniensem, 2 julii 1892.

habeat de crimine judicandi, v. g. in causa separationis tori.

1394 — In singulis diœcesibus eligi debet ab Ordinariis locorum *defensor vinculi matrimonialis*, qui sit juris scientia et probitate præditus, et in quantum fieri potest, ex ecclesiastico cœtu. Ille poterit amoveri vel suspendi ad nutum Ordinarii (1).

1395 — Ad illius officium spectabit in judicium venire, disceptari coram judice causas matrimoniales super validitate aut nullitate, eumque oportet in quolibet actu citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere quæ ad matrimonium sustinendum necessaria censebit (2).

1396 — Ipse debet semper adesse judicio, juramentum præstare de officio suo fideliter obeundo, et renovare debet juramentum in singulis causis. Necessario citandus est sub pœna nullitatis judicii (3).

1397 — Defensor vinculi debet sese abstinere ab appellatione, si sententia fuerit in favorem matrimonii. Secus autem tenetur semper appellare, etiamsi neutra pars id fecisset (4).

1398 — Post primam sententiam et appellatione pendente aut etiam indebite omissa, non licet partibus novum matrimonium contrahere, sub pœnis latis contra polygamos (5).

(1) Const. *Dei miseratione* §. 5 — (2) Ead. const. § 6. — (3) Ead. const. § 7. — (4) Ead. const. § 8. — (5) Ead. const. § 9.

1399 — In secunda instantia, eodem modo ac in prima aget defensor vinculi, electus a judice appellationis (1).

1400 — Post nullitatem matrimonii declaratam per duplicem sententiam conformem, in potestate erit utriusque partis ad alteras nuptias transire (2), sed causæ matrimoniales nunquam transeunt in rem judicatam.

1401 — Quando ex certo et authentico documento vel ex certis argumentis, evidenter constat de existentia quorumdam impedimentorum, Ecclesiæ auctoritate non dispensatorum, nempe perfectæ dis-disparitatis cultus, ligaminis, consanguinitatis aut affinitatis ex copula licita, cognationis spiritualis et clandestinitatis, prætermissis solemnitatibus in const. *Dei miseratione* requisitis, matrimonium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secundæ sententiæ (3).

1402 — Quicumque cognoscit impedimendum dirimens ad matrimonium sive contrahendum sive contractum, intervenire potest et aliquando debet, et hoc impedimentum judici revelare. — Quando autem agitur de impedimento impotentiæ in matrimonio jam celebrato, solus conjux potens valet matrimonium accusare, non autem alia extranea persona.

(1) Ead. const. § 10. — (2) Ead. const. § 11. — (3) Cong. S. Officii, 6 jun. 1889 et 16 febr. 1894.

1403 — Repelluntur etiam ab accusatione matrimonii illi qui dignoscuntur agere ad turpem quæstum faciendum (1), necnon et illi qui tempore denuntiationum impedimentum noscentes, illud non manifestaverunt (2).

1404 — Accusatio contra matrimonium fieri debet personaliter nec admittitur accusatio facta per epistolam (3).

1405 — Tanquam testes in causa matrimoniali admitti possunt omnes qui suspectæ fidei non sunt, etiam parentes contra matrimonium filiorum et viceversa. Non sufficit autem testimonium etiam concors et juramento firmatum utriusque sponsi (4).

CAPUT X.

De Sacramentalibus.

1406 — Sacramentalia definiuntur: Ritus visibiles, qui ex Ecclesiæ institutione gratiæ tum significandæ tum producendæ vim habent, sed tantum ex opere operantis.

1407 — Præcipua ex illis enumerantur versiculo sequenti:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

1408 — Sacramentalia diversa distingui possunt ratione materiæ quacum instituuntur. Vel enim

(1) Cap. 5 tit. *Qui matrimonium* etc. XVIII, lib. IV Decretal. — (2) Cap. 1 eod. tit. — (3) Cap. 2 eod. tit. — (4) Cap. 1 tit. *De eo qui cognovit* etc. XIII, lib. IV Decretal.; instructio S. Officii, 21 aug. 1670 et 24 feb. 1847.

ritus isti perficiuntur cum aqua benedicta, vel cum oleo consecrato. In priori casu, assimilantur benedictionibus et adimpleri possunt a presbyteris. In posteriori autem, analogi sunt consecrationibus et reservantur episcopis aut presbyteris cum commissione extraordinaria.

1409 — Vel etiam confici solent cum sacramentis, ut v. g. unctiones olei catechumenorum et chrismatis in baptismate, vel separatim ab administratione sacramentorum, ut v. g. aspersio aquæ benedictæ, consecratio regis etc.

1410 — Quoad subjectum, sacramentalia applicantur alicui rei, ut v. g. in benedictione aquæ, panis, domus vel in consecratione ecclesiæ, *agnus Dei* etc., aut directe alicui personæ, v. g. in benedictione Abbatis, etc.

1411 — Distinctio existens inter ministros sacramentalium est juris ecclesiastici, et ideo sacerdos potest conferre omnia sacramentalia, cum commissione facta a Romano Pontifice. Hæc commissio videtur supponere tamen potestatem benedicendi et consecrandi quæ datur sacerdoti in sua ordinatione.

1412 — Sicut de jure divino servanda sunt pro sacramentis conficiendis ea quæ a Christo instituente definita sunt, ita ad validitatem Sacramentalium observari debent ea quæ a jure ecclesiastico fuerunt constituta. Ea vero mutare potest auctoritas ecclesiastica suprema.

LIBER SECUNDUS
DE REBUS SACRIS.

CAPUT I
De ecclesiis.

1413 — Ecclesiæ generatim sunt ædes sacræ eo potissimum fine ædificatæ ut publico fidelium usui deserviant (1), et ad quas christiani conveniunt ut opera religiosa adimpleant.

1414 — In illis inveniri debet pars quæ pateat tantum clericis, qui sic separentur a laicis (2).

1415 — Juxta diversa tempora et diversos usus, vocantur : oratoria, basilicæ, templa, martyria, apostolea, tituli vel capellæ.

1416 — Ecclesiæ auctæ sunt privilegio immunitatis localis : inde statutum est ut in illis non agantur neque causæ criminales neque causæ civiles, neque alia negotia profana, et insuper ut præbeant asylum iis personis quæ ad eas confugiunt, ita ut apprehendi non possint a justitia publica.

1417 — Subjiciuntur excommunicationi Summo

(1) S. Cong. Rituum, 12 jul. 1855. — (2) Cap. 1 tit. *De vita et honestate cleric.* I, lib. III Decretal.

Pontifici simpliciter reservatæ Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes (1). Judices autem, milites et alii qui, lege coacti, violant jus asyli, non incurrunt excommunicationem (2).

1418 — Juxta diversam earum dignitatem, ecclesiæ sunt matrices aut filiales, — patriarchales, primatiales, metropolitanæ, cathedrales, collegiales aut parochiales, — demum sæcularium vel regularium.

1419 — Ecclesiæ omnes conservari debent cum illa munditie et illa veneratione quæ decet domum Dei. Nihil ergo in ea deponi debet quod sit supellectilis domus vulgaris, et nisi in casu urgentis necessitatis non potest esse locus dormitionis super capellam aut ecclesiam in qua missa celebratur (3).

1420 — Sicut et ecclesiæ, debent accurate vasa et vestimenta sacra munda et nitida conservari (4).

1421 — Ad novam ecclesiam ædificandam requiruntur: 1° consensus episcopi; 2° examen situs ab eodem; 3° assignatio dotis; 4° judicium de carentia damni alterius (5).

1422 — Ad reparandam vel instaurandam eccle-

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, § 2 n. 5 — Cf. const. Gregorii XIV, *Cum alias*, 24 maii 1591; Benedicti XIII, *Ex quo*, 8 jun. 1725; Clementis XII, *In Supremo*, 1 feb. 1735; Benedicti XIV, *Officii nostri*, 15 mart. 1750. — (2) Cong. S. Officii, 1 febr. 1871. — (3) S. Cong. Rituum, 11 maii 1641 et 12 mart. 1836. — (4) Cap. 2 tit. *De custodia Eucharistiæ* etc. XLIV, lib. III Decretal. — (5) Cap. 1 tit. *De novi operis nuntiatione* XXXII, lib. V Decretal.; S. Cong. Concilii, 29 aug. 1850 et S. Cong. Rituum 14 jun. 1845.

siam adhibendi sunt: 1º fructus et redditus ipsius ecclesiæ; 2º concursus beneficiariorum et patronorum (1); 3º interventus parochianorum privatorum (2) et etiam personarum moralium et municipii (3).

1423 — Si reparari nequeat ecclesia, converti potest in usus profanos sed non sordidos; nam id quod fuit semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum (4).

1424 — Ecclesia **benedici** debet. Benedictio ista est simplex seu sacerdotalis, vel est consecratio seu benedictio episcopalis, scilicet actus ab episcopo peragendus. Hæc consecratio reservatur episcopo Ordinario, nec etiam vicario generali, licet charactere episcopali inveniatur insignitus.

1425 — Consecratio ecclesiæ regularium fieri debet ab episcopo diœcesano; si autem iste, ter rogatus, sine causa recusaverit vel differat ultra quadrimestre, regulares quemcumque alium episcopum vocare possunt ad consecrationem faciendam (5). — Excipitur etiam casus in quo superior regularis est vere *nullius*.

1426 — Substantialis ritus consecrationis consistit in unctione facta super duodecim cruces pictas vel insculptas in pariete, cum prolatione verborum:

(1) Cap. 1 et 4 tit. *De ecclesiis ædificandis* etc. XLVIII, lib. III Decretal.; Conc. Trid. sess. XXI, cap. 7 de Ref.; S. Cong. Concilii 18 dec. 1847. — (2) S. Cong. Concilii, 6 sept. 1785. — (3) S. Cong. Concilii, 15 sept. 1838. — (4) Regula Juris LI, in VI. — (5) Const. Leonis X, *Dum intra*, 19 dec. 1516.

Sanctificetur et consecretur templum hoc, etc. Quod si antea deficeret episcopus, tota functio esset de novo repetenda; si autem postea, per alium episcopum esset continuanda (1).

1427 — Episcopus non debet consecrare ecclesiam quæ non sit sufficienter dotata; et consecratio fieri debet gratis (2).

1428 — Ecclesiæ vel oratoria benedici debent vel consecrari cum cæremoniis contentis in Rituali vel in Pontificali Romano.

1429 — Consecratio ecclesiæ fieri potest quocumque die (3), sed postquam in vigilia hujus diei jejunaverint et episcopus consecrans et illi qui postulant consecrationem.

1430 — Consecratio ecclesiæ non præsumitur sed est probanda (4). Probatio autem potest erui ex omni argumento idoneo.

1431 — In consecratione ecclesiæ, seu potius in benedictione primarii lapidis ejusdem, eligitur titularis, qui deinde mutari non potest. (5)

1432 — Simul cum ecclesia, necessario consecrari debet saltem unum altare fixum, lapideum, continens in sepulcro reliquias ossium plurium martyrum, quibus addi possunt reliquiæ aliorum sanctorum. (6)

1433 — Altaria etiam fixa consecrari possunt

(1) S. Cong. Rituum, 12 april. 1604. — (2) Cap. 10 tit. *De Simonia* III, lib. V Decretal. — (3) Cap. 2 tit. *De Consecr. Ecclesiæ* XL, lib. III Decretal. — (4) Consulatur tamen can. 16 dist. I, 3a parte Decreti. — (5) S. Cong. Rituum, 19 maii 1896. — (6) S. Cong. Rituum 11 april. 1891.

quin consecrentur ecclesiæ (1), sed non vice-versa.

1434 — Altaria possunt etiam esse portatilia. Debent esse lapidea, continere reliquias, et consecrari ab episcopo cum ritibus ad hoc præstitutis (2).

1435 — Altaria omnia exsecrantur per fractionem notabilem lapidis consecrati (3), et si removeatur sepulcrum cum reliquiis (4). Altaria autem fixa amittunt suam consecrationem, si removeantur a structura inferiori quæ adhæret solo.

1436 — Ecclesia *exsecratur* quando denuo, simul et de novo construitur in totum vel in majorem partem, vel quando parietum superficies interna devastatur vel abraditur, etiamsi eædem parietes non destruantur (5).

1437 — Consecratio ecclesiæ nunquam debet iterari, nisi in casu exsecrationis.

1438 — Ecclesia *polluitur :* 1° per homicidium voluntarium et injuriosum, etiam justum (6); 2° per copiosam voluntariam et graviter peccaminosam sanguinis effusionem; 3° per voluntariam cujuscumque seminis humani effusionem (7); 4° per sepulturam infidelis, excommunicati vitandi aut publici clerici percussoris (8).

(1) S. Cong. Rituum, 25 dec. 1850 et 12 sept. 1857. — (2) Can. 31 dist. I, 3ª parte Decreti. — (3) S. Cong. Rituum, 5 mart. 1821. Cfr. Litteræ S. Cong. Rituum, 9 sept. 1880 et 10 maii 1890. — (4) Cap. 1 et 3 tit. *De consecratione ecclesiæ* XL, lib. III Decretal.; S. Cong. Rituum, 25 maii 1846. — (5) Non indiget ecclesia nova consecratione, etiamsi dirutum fuisset altare majus (S. Cong. Rituum, 16 jan. 1886). — (6) Cap. 4 tit. *De consecr. ecclesiæ* XL, lib. Decretal. — (7) Cap. 10 ejusd. tit. — (8) Cap. 7 ejusd. tit.; can. 3 dist. LXVIII, 1ª parte Decreti et can. 19 et 20 dist. I, 3ª parte Decreti.

1439 — Probabiliter, ecclesia non polluitur per sepulturam, illicitam quidem, catechumeni, filii non baptizati parentum christianorum, excommunicati tolerati, necnon et illorum qui ex alio motivo in terra sancta sepeliri prohibentur.

1440 — Pollutio ecclesiæ secum importat pollutionem cœmeterii contigui, sed non vice-versa (1).

1441 — Ad hoc ut sit pollutio, requiritur ut actus, qui causa illius est, sit notorius et publicus.

1442 — Effectus pollutionis sunt : prohibitio celebrandi actus religiosos et necessitas reconciliationis faciendæ a presbytero vel ab episcopo diœcesano, prout ecclesia fuerit vel benedicta vel consecrata. Presbyter autem debet esse ab episcopo delegatus (2).

1443. — **Oratoria** sunt publica, semi-publica vel privata (3).

1444. — Oratorium *publicum* illud est quod designatur ad hoc ut in eo omnes presbyteri celebrare, et omnes fideles præcepto missam audiendi satisfacere queant, sed quod tamen, non tam fidelis populi libero usui destinatum videtur quam alicujus familiæ aut collegii accommodatum (4).

1445. Determinatur oratorium publicum : 1° ex eo quod illi adnexum est beneficium ecclesiasticum; 2° vel ex eo quod fuit consecratum; 3° vel demum ex situ suo, scilicet si sejunctum fuerit a

(1) Cap. un. tit. *De consecr. ecclesiæ* XXI, lib. III, in VI : — (2) S. Cong. Rituum, 9 febr. 1608. — (3) S. Cong. Rituum, 8 martii 1879 et 23 jan. 1899. — (4) S. Cong. Rituum, 12 jul. 1855.

privatis ædibus, et si aditus ejus omnibus pateat, porta aperta in via publica.

1446 — Oratorium *privatum* illud est quod conceditur alicui familiæ vel personæ, vel collegio ad fovendam pietatem, et ad hoc ut illi quibus fit concessio ibi sacrum facere vel audire queant.

1447 — Oratoria privata sunt sæcularia vel regularia, episcopalia, religiosa scilicet pro communitatibus et domestica.

1448 — Concilium Tridentinum episcopos privavit facultate concedendi oratoria domestica, nisi forte in casu necessitatis et ad actum (1). Nec etiam pro seipsis licet episcopis erigere altare nisi in domo propriæ habitationis (2), sed etiam extra propriam diœcesim.

1449 — Character oratorii domestici est ut sit concessum tanquam facultas facta quibusdam celebrandi vel audiendi missam in loco designato, ita ut concessio spectet principaliter personas, accessorie vero locum.

1450 — Debet esse oratorium decenter exstructum et ornatum, ab omnibus cæteris usibus domesticis liberum; ideo super illud retineri non debet lec-

(1) Sess. XXII, Decretum *de Observandis et vitandis in celebratione Missarum*; const. Clementis XI, *Quoniam sancta*, 15 dec. 1703; Innocentii XIII, *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723; Benedicti XIV, *Magno*, 2 jun. 1751 et *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744. S. Cong. Concilii, 20 dec. 1856 et 17 febr. 1862. — (2) Decretum Clementis XI, *Quoniam Sancta*, 15 sept. 1703; const. Innocentii XIII, *Apostolici*, 23 maii 1723, Benedicti XIII, *In supremo*, 23 sept. 1724 et Benedicti XIV, *Magno*, 2 jun. 1751. — Quoad episcopos titulares, Cf. S. Cong. Rituum, 28 aug. 1838.

tum ad dormiendum vel alia res nimis profana.

1451 — Inde sequitur quod in illis oratoriis, missa celebrari non potest nisi a sacerdotibus indultariis, vel nisi præsente saltem una ex personis contemplätis in indulto (1).

1452 — Ideo personæ extraneæ, neque etiam famuli quorum præsentia non est heris necessaria in ipso momento auditionis missæ, non satisfaciunt præcepto, assistendo missæ in hisce oratoriis. Satisfaciunt vero hospites et aliæ personæ ejusdem familiæ.

1453 — In oratoriis domesticis, missam celebrare non licet, absque speciali indulto, in quibusdam diebus festivis solemnioribus quæ sunt dies Paschatis, Pentecostes, Natalis, Epiphaniæ et Ascensionis Domini, Assumptionis et Annuntiationis B. M. V., Omnium Sanctorum et apostolorum Petri et Pauli (2).

1454. — Istæ restrictiones non spectant ad oratoria episcopalia (3), neque ad oratoria semi-publica scilicet communitatum.

CAPUT II.

De sacra Supellectili.

1455 — Hoc nomine designantur res seu instru-

(1) S. Cong. Concilii, 3 dec. 1740. — (2) Decretum Clementis XI, *Quoniam sancta,* 15 sept. 1703. Cf. Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, lib. III, cap. 6, n. 5. — (3) S. Cong. Concilii, 2 jul. 1661, et S. Cong. Rituum, 8 aug. 1854; 19 maii et 8 junii 1896.

menta quæ cultui divino inserviunt, ut sunt vasa sacra, vestes sacerdotales, lintea, lampades, campanæ etc.

1456 — **Vasa** quæ in usu sunt in ecclesiis aptantur vel ad recipiendam materiam consecrandam vel materiam jam benedictam, vel ad continendum sacramentum altaris.

1457 — Hæc ultima nobiliora sunt, et ideo jussit Ecclesia ut fierent ex metallo pretioso, scilicet ex argento vel auro (1), ut consecrentur oleo et nonnisi per manum Pontificis, et ut non tangantur nisi a ministris sacris (2).

1458 — Linteamina quorum usus fit in sacrificio missæ ut pallæ, corporalia etc., debent esse ex lino vel cannabe, non autem ex serico aut ex alia materia (3).

1459 — Calix cujus deauratio interna disparuit est iterum consecrandus post restaurationem (4). Calix etiam exsecratur ex profano usu, v. g. ex eo quod eo hæreticus usus sit ad bibendum in epulis (5).

1460 — Res consecratæ quæ sunt pretio æstimabiles nec carius vendi possunt ratione consecrationis, quia hoc esset simoniacum, nec ad usus profanos converti, sed semper ad sacros usus sunt adhibendæ (6).

(1) Can. 44 et 45 dist. I, 3ª parte Decreti. — (2) Can. 41 ejusd. dist. — (3) Can. 46 dist. I, 3ª parte Decreti. — (4) S. Cong. Rituum, 14 jan 1845. — (5) Cong. S. Officii. . . . . 1674. — (6) Reg. LI Juris, in VI

1461 — Illarum rerum quæ sunt minimi valoris, quæque benedictæ vel consecratæ sunt, venditionem et emptionem prohibet jus ecclesiasticum propter periculum simoniæ, sed hæc debent gratis præberi, ut v. g. oleum sacrum, chrisma, etc.

1462 — Jam a prioribus sæculis, Ecclesia voluit presbyteros et clericos indutos esse **veste** speciali dum sacra faciunt.

1463 — Vestes istæ sunt pro sacerdotibus : amictus, alba, cingulum, manipulum, stola et casula seu planeta; pro diaconis, tunica, stola transversa et manipulum; pro subdiaconis, tunica et manipulum; pro cæteris clericis, superpelliceum.

1464 — Episcopis autem reservantur mitra, tunicellæ et aliquando pallium.

1465 — Juxta diversos ritus, diversa est forma et varius color sacrorum indumentorum. Apud Latinos, quinque sunt colores paramentorum, scilicet albus, ruber, niger, viridis et violaceus. Proscribendus est color flavus necnon et cæruleus, sed paramenta auro contexta adhiberi possunt pro colore sive albo, sive rubeo, sive viridi (1). Apud Orientales, nullus est præscriptus color.

1466 — Vestes sacerdotales benedici debent ab episcopo aut a sacerdote qui ab episcopo facultatem obtinuit, cum precibus in Rituali assignatis.

(1) S. Cong. Rituum, 5 dec. 1868.

— Confici debent ex materia ab Ecclesiæ præceptis prævisa (1).

1467 — Cætera instrumenta quæ inserviunt ad ornamentum ecclesiarum et ad corpus Christi plus minusve mediate detinendum, non semper benedicuntur, sed nunquam adhiberi debent in usus sordidos.

1468 — **Campanæ** sunt instrumenta quibus populus ad ecclesiam vocatur aut ad preces fundendas invitatur. Earum usus multiplex describitur sequentibus versibus:

Laudo Deum Verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro, nimbos fugo, festa decoro.

1469 — Sanctificantur campanæ per cæremoniam quæ vocatur *baptismus*, et quæ videtur fieri non posse nisi per episcopum (2).

1470 — Intuitu charitatis vel ordinis publici, pulsari possunt campanæ pro usibus non sacris, ut. v. g. in periculo ex incendio aut ad convocandos magistratus; sed semper hoc fieri debet, jubente vel saltem annuente auctoritate ecclesiastica.

CAPUT III

De reliquiis et imaginibus Sanctorum.

1471 — Nunquam licet aliquem pro sancto vene-

(1) S. Cong. Rituum, 28 jul. 1881. — (2) S. Cong. Rituum, 19 april. 1687, 28 jun 1853, 9 maii 1857, 5 dec. 1868, 13 dec. 1874 et 4 martii 1892.

rari, nisi post interventum auctoritatis Ecclesiæ (1).

1472 — Relate ad sanctos colendos et honorandos, duplex fert judicium Ecclesia : canonizationis nempe et beatificationis. Utrumque profertur a Romano Pontifice, utpote causa major : prius tamen ex jure proprio; secundum, ex jure reservationis (2).

1473 — **Canonizare** aliquem est illum solemniter inscribere in catalogo sanctorum et declarare illum in cœlis regnare cum Christo.

1474 — In canonizatione ideo præcipitur et statuitur ut canonizatus ab omnibus fidelibus pro sancto habeatur, et coli possit ubique cultu publico.

1475 — Judicium canonizationis dirigit ex cathedra Pontifex ad totam Ecclesiam; ideo in illo ferendo, Papa loquitur ut doctor infallibilis.

1476 — **Beatificare** aliquem est concedere alicui regno, provinciæ, loco vel familiæ religiosæ ut ille homo possit invocari et honorari cultu publico, scilicet vel in celebratione missæ, vel ex recitatione officii, tamquam vivens et regnans in patria cœlesti.

1477 — In beatificatione ideo, non præcipitur sed conceditur ut Beatus cultu aliquo honorari valeat, non in toto mundo, sed in quodam loco, regno vel familia religiosa (3).

1478 — **Reliquiæ** sanctorum nominantur eorum

(1) Cap. 1 tit. *De reliquiis* etc. XLV, lib. III Decretal ; S. Cong. Rituum, 14 aug. 1894. — (2) Cf. Bulla Urbani VIII, *Cœlestis Hierusalem*, 5 jul. 1634. — (3) Cf. Benedictus XIV, *De servorum Dei Beatificatione et Canonizatione* ; S. Cong. Rituum 5 dec. 1868, 10 dec. 1870, 2 april. 1889, 22 aug. 1893, 11 febr. et 16 julii 1894.

corpora vel corporis partes etiam minimæ; item vestes vel res diversæ quibus viventes usi sunt, vel quibus eorum corpora fuerunt post mortem involuta: etiam instrumenta passionum vel mortificationum.

1479 — Reliquiæ honorari non debent cultu publico, nisi prius fuerint legitime recognitæ et approbatæ ab episcopo (1).

1480 — Ad hanc approbationem non requiritur evidentia metaphysica aut physica, sed tantum certitudo moralis.

1481 — Ad episcopos spectat curare ne populus decipiatur quoad sanctorum reliquias variis figmentis aut falsis documentis, id est falsis relatis miraculis (2).

1482 — Reliquiæ insignes — id est corpus integrum vel magna pars ejusdem, aut etiam pars in qua passus est martyr (3), — non possunt transferri de una ecclesia in aliam ecclesiam, inconsulta Sede Apostolica.

1483 — Reliquiæ debent esse ab omni commercio immunes, nec illas licet aut pretio æstimare aut vendere, quod esset simoniacum (4).

1484 — Ecclesia approbat et laudat usum expo-

(1) Conc. Trid. sess. XXV. *Decretum de invocatione Sanctorum;* S. Cong. Indulgentiarum, 16 dec. 1749; Cap. 2 tit. *De reliquiis* etc. XLV, lib. III Decretal.; S. Cong. Rituum, 21 jul. 1696, 3 aug. 1697, 27 sept. 1817. — (2) Eod. cap. tit. XLV; Const. Leonis X, *Supernæ majestatis*, 19 dec. 1516. — (3) S. Cong. Rituum, 16 jun. 1631. — (4) S. Cong. Indulgentiarum et Reliquiarum, 21 dec. 1878 et 16 Kal. febr. 1881.

nendi **imagines** Christi vel sanctorum, et exprimendi per picturas aut sculpturas mysteria Redemptionis necnon et facta Utriusque Testamenti (1).

1485 — Sed in sanctorum invocatione, in reliquiarum veneratione et in usu imaginum, tolli debet omnis superstitio, eliminari turpis quæstus, et omnis lascivia evitari.

1486 — Episcoporum est de his judicare : sed ipsi hac in re nihil novum et inusitatum decernere debent (2).

1487 — Non licet imagines hominum qui non sunt canonizati vel beatificati pingere cum radiis vel signo cultus. — Imagines D. N. Jesu Christi, B. Mariæ et aliorum sanctorum non debent confici cum habitu indebito regularium, nec cum veste profana, indecentiam vel inhonestatem præseferente (3).

1488 — Nemini licet, ullo in loco, vel ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit ; nulla etiam admittenda sunt nova miracula, nec novæ reliquiæ exponendæ, nisi eadem recognoscente et approbante episcopo (4).

(1) Can. 27 et seqq. dist. III, 3ª parte Decreti. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, *de invocatione sanctorum*. — (3) Const. Urbani VIII, *Sanctissimus*, 4 april. 1625 ; *Cœlestis Hierusalem*, 15 jul. 1634 et *Sacrosancta Tridentina*, 15 mart. 1642. — (4) Conc. Trid. sess. XXV *de invocatione SS.*

LIBER TERTIUS

DE REBUS RELIGIOSIS.

1489 — Res religiosæ illæ sunt quæ sese referunt ad actus charitatis exercendos erga Deum et proximum, et quæ instituuntur cum interventu actuum religiosorum.

1490 — Opera charitatis quæ ordinavit Ecclesia, diriguntur sive ad vivos sive ad mortuos: vivorum autem spectant corpora vel mentes.

CAPUT I.

De institutis beneficentiæ.

1491 — Ecclesia jus habet libere exercendi charitatem erga pauperes et miseros, et ideo creandi et conservandi instituta beneficentiæ.

1492 — Si spectentur fundatores, illa instituta sunt *ecclesiastica*, si fuerint exstructa interventu auctoritatis ecclesiasticæ et ex opibus ejusdem. — Sunt vero *laicalia*, si fundata sint zelo privatorum.

1493 — Ratione personarum quibus auxilium præstatur, hæc instituta sunt vel pro *pauperibus*, et tunc nominantur: Brephotrophia pro infantibus,

orphanotrophia pro orphanis, conservatoria pro puellis, gerontocomia pro senibus; vel sunt pro *infirmis,* scilicet manicomia pro furiosis, leprosoria pro leprosis, xenodochia et hospitalia pro peregrinis et ægrotis. Cum istis omnibus adnumerari debent etiam montes pietatis (1).

1494 — Id omne quod spectat ad animarum curam in institutis beneficentiæ pendet ab episcopo.

1495 — Quoad administrationem vero, instituta laicalia regi debent juxta tabulas fundationis; sed in his etiam vigilare debet episcopus quia ipse est « *omnium indigentium curator* » (2), et ideo est tutor natus omnium miserabilium et executor omnium piarum voluntatum in sua diœcesi (3).

1496 — In institutis ecclesiasticis, episcopi est ordinare administrationem et nominare œconomos.

1497 — Exceptis tantum hospitalibus qui fuerunt in eorumdem erectione sub regum protectione admissa (4), episcopus potest et debet visitare omnia loca pia et instituta beneficentiæ, quomodocumque nominentur, et omni exceptione remota (5).

1498 — Administratores tum laici, tum ecclesiastici quorumcumque locorum piorum tenentur red-

(1) Cf. const. Leonis X, *Inter multiplices*, 4 maii 1515, in Concilio Lateranensi V. — (2) S. Justinus, apol. II. — (3) Cap. 3 et 4 tit. *De religiosis domibus* XXXVI, lib. III Decretal. et Clem. 2 eod tit. XI, lib. III; Conc. Trid. sess. VI, cap. [illegible] de Ref. et sess. XXII, cap. 8 de Ref. — Cf. can. 1, 2, 3 et 4 dist. [illegible], 1ª parte Decreti. — (4) S. Cong. Concilii, 18 maii 1726. — (5) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 8 de Ref.

dere quotannis rationem administrationis Ordinario loci. Si autem ex consuetudine vel ex privilegio, rationes illæ aliis reddendæ sint, excludi non potest Ordinarius. Aliter factæ liberationes administratoribus minime suffragari queunt (1).

1499 — Excipitur etiam casus quo in fundatione dictum fuisset et expresse cautum quod rationes Ordinario reddendæ non essent, nec cum illius interventu (2).

1500 — Episcopis facta est facultas monendi et compellendi administratores per censuras ecclesiasticas et per fructuum restitutionem, ad munus suum recte obeundum. Ipsis datur etiam facultas convertendi in usum utiliorem et institutioni proximiorem redditus qui facti sunt inutiles (3).

CAPUT II.

De institutis educationis.

1501 — Ecclesiæ solius est dirigere, proprio et nativo jure, theologicarum rerum doctrinam (4).

1502 — Necesse est ut doctrina religiosa, a viris ab Ecclesia probatis, tradatur in omnibus scholis, ita ut nullibi detur instructio Deum excludens, seu *neutra* aut athea (5).

(1) Ibid. cap. 9. — (2) S. Cong. Concilii, 12 nov. 1633. — (3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 8 de Ref. — (4) Syllabus, prop. XXXIII. — (5) Syllabus, prop. XLVII et XLVIII; epist. Pii IX, 14 jul. 1864; cfr. Instructio Cong. de Propaganda fide ad episcopos in Fœderatis Statibus Americæ, 30 jun. 1875.

1503 — Ecclesiæ competit *auctoritas, vis moderatrix* et *ingerentia* in omnibus publicis institutis quæ litteris, philosophiæ et cæteris disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata (1).

1504 — Ecclesia jus habet docendi etiam scientias humanas et sese immiscendi in regimen publicarum scholarum (2).

1505 — Ecclesia, juxta diversa tempora, justissime instituit diversi generis instituta educationis, scilicet scholæ monasteriorum, universitates, collegia et Seminaria.

1506 — Omnes doctores vel magistri vel cujuscumque artis vel facultatis professores tam laici quam clerici qui in publicis universitatibus vel gymnasiis aut alibi lectiones habent, simulque illi qui ad gradus academicos promoventur, fidei pro fessionem emittere tenentur (3).

1507 — Concilium Tridentinum jussit ut in singulis diœcesibus unum saltem constituatur *Seminarium* pro educatione clericorum, et regulas statuit ad ejusdem regimen morale et materiale (4).

(1) Syllabus, prop. X, XI, XII, XLV, XLVI et XLVIII. — Cf. epistola Pii IX, ad episc. Monacensem, *Tuas libenter,* 21 dec. 1863 ; S. Cong. Concilii, *in Conimbricen.* 18 jul. 1888. — (2) Syllabus, prop. XLV ; Litteræ Leonis XIII ap episcopos Angliæ, 27 nov. 1885. —(3) Const. Pii IV, *In Sacrosancta,* 13 nov. 1564. — (4) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 8 de Ref. ; Const. Benedicti XIII, *Creditæ nobis,* 9 maii 1725, Benedicti XIV, *Ubi primum,* 3 dec. 1740, Pii IX, *Cum Dominus* 28 jun. 1853 et *Ad piam*, 3 oct. 1853 ; S. Cong. Episc. et Reg. 3 jul. 1860 ; S. Cong. Concilii, 21 jun. 1879.

1508 — Quoad regimen disciplinæ interioris, determinandum est ab episcopo qui eligere sibi debet, tanquam consiliarios, duos seniores et graviores ex canonicis (1).

1509 — Pro administratione temporali, episcopo assistere debent quatuor deputati ; duo ex capitulo, quorum unus eligendus est ab episcopo et alter a capitulo, et duo de clero civitatis, quorum etiam unus designari debet ab episcopo et alter a clero civitatis. Isti deputati perpetui sunt et amoveri nequeunt.

CAPUT III

De Cœmeteriis et de Sepulturis.

SECT. I — DE LOCO SEPULTURÆ.

1510 — **Cœmeterium** est locus potestate episcopi benedictus, in quo sepeliuntur cadavera fidelium pie decedentium.

1511 — Cœmeterium consecrari debet ab episcopo aut a presbytero cui facultas concessa fuit a Romano Pontifice, aut saltem benedici a presbytero cui data est ad hoc commissio ab episcopo.

1512 — Vi consecrationis vel benedictionis, cœmeteria fiunt loca sacra. Ideo debent claudi, nec de-

(1) S. Cong. Concilii, jan. 1589.

putari ad usus sordidos et profanos et esse sub potestate ecclesiasticæ auctoritatis.

1513 — Locus sepulturæ non potest pretio æstimari; sed tamen, 1° potest esse materia contractus locus profanus vel etiam capella quæ ad hoc emitur ut inserviat ad sepulturam; 2° potest peti et dari pretium pro loco honorabiliori habendo; 3° ubi est consuetudo, admitti potest taxatio quæ inserviat ad solvendas expensas sive constructionis sive custodiæ cœmeterii; 4° pro pauperibus tamen, sepultura debet esse gratuita, et non potest illa recusari pretio antea non soluto (1).

1514 — Exsecratur cœmeterium quando destruitur vel totaliter immutatur.

1515 — Polluitur cœmeterium iisdem actibus quibus polluitur ecclesia.

1516 — Effectus pollutionis in eo est quod nemo potest ibi sepeliri ante reconciliationem factam ab episcopo aut a presbytero juxta regulas traditas in Rituali aut in Pontificali romano. Prius exhumari et expelli debet cadaver cujus sepultura indebita fuit causa pollutionis.

1517 — Triplex est **sepulturæ species** pro fidelibus; sepultura electa, sepultura majorum et sepultura parochialis.

1518 — Omnis fidelis sibi sepulturam *eligere*

(1) Cap. 13 tit. *De sepulturis* XXVIII, lib. III Decretal.

valet, exceptis tantum impuberibus, religiosis (1), et illis qui in cœmeterio admitti nequeunt propter indignitatem (2). Pater potest electionem facere pro filiis impuberibus, si ita est loci consuetudo (3).

1519 — Religiosis et cæteris clericis stricte prohibetur ne ipsi fideles inducant ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant vel jam electam ulterius immutent (4).

1520 — Religiosi sunt apud sua monasteria tumulandi, nisi adsit impossibilitas (5). Religiosi autem dispersi, quoad funera, subsunt parocho loci, sicut et cæteri parochiani (6).

1521 — Nomine sepulturæ *majorum* aut gentilitiæ venit sepulcrum quod ad usum privatum obtinuerunt ascendentes paterni vel etiam materni. In illo condi debent corpora eorum qui hoc privilegio fruuntur (7), utpote membra hujus familiæ.

1522 — In illo sepeliri debent etiam iidem, si decedant extra locum domicilii, dummodo eorum corpora absque periculo valeant deportari (8).

1523 — Mulier quæ plures viros successive habuit, si sepulturam non elegerit, est cum viro

(1) Cap. 5 eod. tit. XII, in VI. — (2) Cap. 1 et 7 eod. tit. XXVIII, lib. III Decretal.; cap. 1 eod. tit. XII, in VI; Clement. 3 tit. *de Pœnis* VIII, lib. V; const. Alexandri VII, *Alias pro parte* 30 april. 1660 et Clementis XI, *Cum sicut* 18 aug. 1708; S. Cong. Concilii, 16 febr. 1867, 21 mart. 1871 et 25 aug. 1877. — (3) Cap. 4 tit. *De sepulturis* XII, lib. III in VI. — (4) Cap. 1 eod tit. in VI; Clement. 3ª tit. *De pœnis* VIII, lib. V. — (5) Cap. 5 eod tit. XII, in VI. — (6) S. Cong. Episc. et Regul. 26 febr. 1864. — (7) Cap. 1 tit. *De Sepulturis* XXVIII, lib. III, Decretal. — (8) Cap. 3 ejusd. tit. XII, in VI.

ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda (1).

1524 — Qui non habent sepulturam electam nec sepulcrum majorum, sepeliri debent in propria *parochia,* in illa scilicet in qua consueverunt audire divina et recipere sacramenta.

1525 — Illi qui domicilium non habent, sepeliri debent in parochia in qua decedunt.

1526 — Episcopi tumulandi sunt in propria ecclesia cathedrali, et ad capitulum spectat pro defuncto officium et missam celebrare et exequias absolvere, et ipsius sunt funerum emolumenta (2).

1527 — Quando, ut contingit in civitatibus plurimis, unicum est cœmeterium pro pluribus parœciis ejusdem loci, istud habetur ut parochiale pro singulis, scilicet correspondet illi quod in unaquaque parœcia habendum esset.

1528 — Sepulturæ fieri non debent, sine speciali privilegio, in ecclesiis (3); nunquam autem sub altari, nec in loco non distanti tribus cubitis ab altari.

1529 — Illicitum est mandare ut sua aliorumque cadavera comburantur, et nomen dare societatibus quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera (4).

SECT. II. QUINAM DEBENT SEPELIRI.

1530 — Omnes fideles qui e vivis discesserunt, se-

(1) Eod. cap. 3 tit. XII, in VI. — (2) S. Cong. Concilii, 24 mart. 1873. — (3) Rubrica Ritualis Romani. — (4) Cong. S. Officii, 19 maii et 15 dec. 1886 et 27 julii 1892.

peliri debent in cœmeteriis benedictis, illis exceptis qui a jure excluduntur. Principium hujusce juris est ut « quibus non communicavimus vivis, non communicemus et defunctis, et ut careant ecclesiastica sepultura illi qui prius erant ab Ecclesiæ unitate præcisi, nec in articulo mortis illi reconciliati fuerunt » (1).

1531 — Causæ ob quas denegatur sepultura ecclesiastica debent esse publicæ et non occultæ. Ubi vero occurrit juris vel facti dubium, consulatur Ordinarius, sed dubium favere debet sepeliendo.

1532 — Negatur honor ecclesiasticæ sepulturæ paganis, judæis et omnibus infidelibus, seu non baptizatis ; hæreticis et eorum fautoribus, schismaticis notoriis (2) et publicis excommunicatis excommunicatione majori, interdictis nominatim et iis qui sunt in loco ubi viget interdictum (3).

1533 — Item, illis qui semetipsos occiderunt, non ex insania, sed ob desperationem vel iracundiam, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ. (4)

1534 — Non præsumendum est factum suicidii, sed cum constat de suicidio, non est præsumendum sed probandum, illud accidisse ex insania.

1535 — Si dubium superest utrum quis mortem sibi dederit ob desperationem vel ob insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen

(1) Cap. 12 tit. *De Sepulturis* XXVIII, lib. III Decretal. — (2) Const. Martini V, *Inter cunctas* 22 febr. 1418. — (3) Rituale Romanum et cap. 20 tit. *De sententia excommunicationis* XI, lib. V, in VI. — (4) Cong. S. Officii, 16 maii 1866.

pompis et solemnitatibus exequiarum. (1) Ita fieri potest etiam pro peccatoribus publicis demortuis absque pœnitentia sed qui ex testimonio parentum, pietatis et resipiscentiæ signa dederunt (2).

1536 — Recusari etiam debet sepultura ecclesiastica morientibus in duello, ex vulnere ibidem accepto, etiam extra locum conflictus, et etiamsi ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederint (3).

1537 — Item et manifestis publicisque peccatoribus qui perierunt sine pœnitentia, et a fortiori in actu ipsiusmet peccati.

1538 — Privari etiam possunt sepultura ecclesiastica illi de quibus publice constat quod non satisfecerunt præcepto confessionis annuæ et communionis paschalis, et obierunt absque ullo signo contritionis.

1539 — Excluduntur etiam infantes morientes absque baptismate, nisi adhuc contineantur in utero matris mortuæ, cum qua sepeliuntur.

1540 — Quando denegatur sepulturæ ecclesiasticæ honor, non debent recitari preces rituales, nec pulsari campanæ, nec licet corpus deponere in terram sanctam.

1541 — Mandantes seu cogentes tradi sepulturæ

(1) Cong. S. Officii, 7 aug. 1885 et 16 maii 1866. — (2) Cong. S. Officii, 19 sept. 1877. — (3) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 19 de Ref.; Rituale Romanum; const. Gregorii XIII, *Ad tollendum*, 5 dec. 1582, Benedicti XIV, *Detestabilem*, 10 nov. 1752 et Pii IX, *Apostolicæ Sedis*, § II n. 3.

ecclesiasticæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos et interdictos, subduntur excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ. — Etiam interdicto reservato plectuntur nominatim excommunicatos ad sepulturam ecclesiasticam scienter admittentes (1).

SECT. III. QUINAM DEBENT SEPELIRE.

1542 — Exceptis casibus a jure determinatis, jus sepeliendi fideles pertinet ad parochum loci, in quo domicilium habuit defunctus, seu in parœcia in qua ipse consuevit audire divina et ecclesiastica recipere Sacramenta (2).

1543 — Inde sequitur jus parochi percipiendi taxam funerariam quæ dicitur *portio canonica* seu *quarta funeralis*.

1544 — Valet jus parochi sepeliendi etiam defunctum, mortuum in parœcia aliena, dummodo ad propriam parochiam valeat reportari (3).

1545 — Parocho jus competit etiam sepeliendi illos qui in sua parœcia decedunt, si nullum habeant domicilium aut si ad propriam parœciam nequeant deportari.

1546 — Casus excepti sunt : quando est sepultura electa; quando agitur de regularibus (4), et, ex consuetudine, de canonicis (5).

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, § 4 n. 1, et n. 20. — (2) Cap. 3 tit. *De Sepulturis* XII, lib. III in VI. Cfr. causa *Novarien.*, S. Cong. Concilii, 27 maii 1893, de cœmeterio communi pluribus parœciis. — (3) Eod. cap. — (4) S. Cong. Rituum, 10 febr. 1629. — (5) S. Cong. Concilii, 29 mart. 1869, 9 jul. 1881 et 11 jul. 1885.

1547 — Parochus jus habet interveniendi sepulturis, etiam quando jus non habet sepeliendi. Officium istud recusare nequit, in specie quando timet taxam non fore solvendam.

1548 — Ad parochum pertinet, etiam quando ejus parochianus sepelitur in ecclesia aliena, stolam deferre, corpus e domo levare et aqua benedicta aspergere, præcinere antiphonam *Exultabunt* et cantare orationem solitam.

1549 — Parochi proprii est associare cadaver usque ad portam ecclesiæ tumulantis. Illius est declarare per quam viam deferendum est cadaver.

1550 — Ad hoc, libere et processionaliter potest procedere per quascumque diœceses vel parochias intermedias, cum stola et cruce elevata, etiam irrequisitis parochis cæteris (1).

1551 — Elevare crucem competit ad ecclesiam tumulantem (2). in ingressu hujus ecclesiæ, prælatus illius reassumit officium funeralium. Nulla est obligatio præsentandi corpus ad parochiam propriam, quando sepultura fit in ecclesia aliena.

1552 — Regulares possunt celebrare funera religiosi defuncti etiam extra monasterium, etiam inconsulto parocho, et cadaver deferre ad propriam domum religiosam, si hoc commode fieri

(1) S. Cong. Episc. et Regul. 24 nov. 1713; S. Cong. Concilii, 28 nov. 1671, 24 jul. 1734, 31 jul. 1694 et 2 maii 1711. — (2) Non confundi debet jus tumulandi cum jure funerandi, quæ aliquando distingui debent. Cfr. S. Cong. Concilii, 30 jan., 20 mart. et 20 nov. 1830.

possit, et parochus nullum potest exposcere emolumentum (1).

1553 — Regulares possunt associare cadaver cum stola et conventus cruce elevata ad publicum cœmeterium, sine parochi interventu, dummodo hoc fiat sine pompa et per viam breviorem (2). Idem jus habere videtur confessarius monialium pro mulieribus sibi subditis (3).

1554 — Pro sepulturis, parochus nihil exigere potest a pauperibus, et neque etiam a cæteris pro sepultura ipsa, sine extraordinaria pompa, nisi contraria adsit consuetudo, ut putant quidam doctores et prout usus invaluit (4).

1555 — Etiamsi sepultura fiat in ecclesia aliena, parochus proprius jus habet ad *quartam funeralem* seu *portionem canonicam*, quæ est: certa portio, ex consuetudine æstimanda, debita parocho vel episcopo, ab ecclesia in qua sepelitur defunctus, ex relictis eidem a defuncto vel ex obvenientibus ratione funeris (5).

1556 — Si quis duplex habuerit domicilium et sepulturam elegerit in tertia parœcia, uterque parochus jus habebit ad portionem canonicam (6). Si autem quis elegerit sepulturam vel moriatur in una

(1) S. Cong. Episc. et Regul. 2 jul. 1620, et S. Cong. Concilii, 22 maii 1615. — (2) S. Cong. Concilii, 24 jan. 1846. — (3) S. Cong. Concilii, 24 febr. 1852, 30 maii 1856, 17 sept. 1858 et 24 febr. 1872. — (4). Cf. can. 12 et seqq. q. 2æ causæ XIII, 2a parte Decreti; cap. 42 tit. *De Simonia* III, lib. V Decretal. — (5) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 13 de Ref.; cap. 1 tit. *De Sepulturis* XXVIII, lib. III Decretal; cap. 2 ejusd. tit. XII, in VI; Clementina 2a ejusdem tit. — (6) Cap. 2 eod. tit. XII, in VI.

ex duabus parochiis propriis, parochus alterius non poterit exigere dimidiam partem portionis canonicæ (1).

1557 — Portio canonica, nisi adsit contraria consuetudo, debet esse pars quarta (2) ex emolumentis quæ proveniunt ex funeribus celebratis, sive ipsa die funeris, sive die 3ª, 7ª aut 30ª (3). Inter hæc computantur candelæ, intortitia etc., non autem eleemosynæ Missarum.

1558 — Quisquis eligere potest ecclesiam ad celebrationem propriæ sepulturæ. Hæc haberi potest loco sepulturæ electæ, et proprius parochus defuncti jus non habet nisi ad quartam funeralem (4).

1559 — Qui alienum parochianum indebite sepelivit, tenetur restituere cadaver, si fieri potest, et omnia emolumenta ex sepultura percepta (5).

1560 — Preces recitari debent et ritus observari pro adultis et pro infantibus, prout continentur in Rituali Romano.

(1) S. Cong. Concilii, 12 sept. 1881. — (2) Cap. 8 tit. *De sepulturis* XXVIII, lib. III Decretal. — (3) S. Cong. Concilii, 18 jul. 1744. — (4) S. Cong. Concilii, 24 maii 1821, 26 jan. 1833, 26 nov. 1864, 16 feb. 1867. — (5) Cap. 5 et 6 tit. *De sepulturis* XXIII, lib. III Decretal.

LIBER QUARTUS
DE REBUS TEMPORALIBUS.

CAPUT I
De jure proprietatis Ecclesiæ.

1561 — Ecclesia legitime possidere potest bona sive mobilia sive immobilia, et hanc facultatem habet non ex concessione potestatis politicæ, sed ex jure divino, naturali et positivo (1).

1562 — Juxta quosdam auctores, Deus ipse est verus proprietarius bonorum ecclesiasticorum. Hæc est opinio communior, licet alii dicant proprietarium esse Papam, vel Ecclesiam universalem, vel singulam societatem religiosam particularem.

1563 — Quidquid sit hac in re vera doctrina, certum est Papam disponere posse de bonis ecclesiasticis omnibus, sive tanquam illorum proprietarius sive tanquam administrator supremus.

1564 — Severe reprobantur et gravissimis pœnis plectuntur omnes usurpatores bonorum Ecclesiæ, et omnium eorum quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent (2).

(1) Syllabus, prop. XXVI. Cfr. Const. Pii IX, *Quibus luctuosissimis*, 5 sept. 1851 et allocutio *Numquam*, 15 dec. 1856. — (2) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 11 de Ref.

CAPUT II

De usu juris proprietatis in Ecclesia.

§ 1. — DE ACQUISITIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

1565 — Ecclesiæ jus inest acquirendi bona, præsertim per primitias, per decimas, per oblationes et demum per donationes et testamenta fidelium.

1566 — *Decimæ* definiuntur : certa pars fructuum honeste collectorum propter opus spirituale exercitum vel debitum. — Decimæ sunt prædiales vel personales (1).

1567 — Nomine *oblationis* intelligitur quidquid offertur Ecclesiæ quocumque modo, in missa vel extra missam, in ecclesia vel extra, v. g. ratione exequiarum vel collationis sacramentorum (2).

1568 — Hoc nomine veniunt etiam honoraria missarum, dona facta sanctuariis, jura stolæ et ea quæ *casualia* dicuntur.

1569 — Oblationes sunt illius cui donatæ sunt; sed in dubio, et si intentio donantis sit incognita vel incerta, præsumptio est in favorem parochi (3).

1570 — Quoad *testamenta*, episcopi jus habent interveniendi ad obligandos fideicommissarios aut executores testamentarios ad testatorum volun-

(1) Cf. Litteræ Card. Pœnitentiarii majoris ad episcopos Italiæ, 25 aug. 1887. — (2) Cf. cap. 42 tit. *De Simonia* III, lib. V Decretal. — (3) S. Cong. Concilii, 5 april. 1647.

tates adimplendas, quando agitur de legatis piis, etiamsi illos exclusisset testator (1).

1571 — Legata pia debentur, quamvis nudis verbis tantum suam voluntatem expresserit testator(2).

1572 — Quando agitur de causis piis, etiam valet testamentum factum a parochiano coram presbytero suo et tribus vel duabus aliis personis, vel etiam coram duobus vel tribus testibus tantum (3), licet leges civiles testamentum judicent irritum ex defectu solemnitatum quas ipsæ præscribunt.

1573 — Ad hoc autem oportet ut sint conditiones requisitæ a jure naturali, scilicet, 1° ut testator habeat facultatem testandi, id est plenam dispositionem de rebus suis ; 2° ut habeat expeditum usum rationis ; 3° ut certitudine morali constet, sive per testes, sive per scripturam, sive alio modo, de ultima et non revocata testatoris voluntate, et non tantum de ejus proposito, desiderio vel consilio.

1574 — In criminis pœnam, facultate testandi privantur a jure canonico, usurarii manifesti ; hæretici vitandi et eorum fautores, defensores et receptores ; S. R. Ecclesiæ cardinalium percussores. Ab istis ideo legata vel dona Ecclesia acceptare non debet, præsertim ab usurariis, ne videatur cooperari eorum peccatis.

1575 — Episcopi legare debent suis cathedralibus omnia sua ustensilia sacra, exceptis illis de quibus

(1) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 8 de Ref. ; cap. 3 et 17 *De testamentis* XXVI, lib. III Decretal. — (2) Cap. 4 et 6 ejusd. tit. — (3) Cap. 10 et 11 ejusd. tit.

constat ea non fuisse comparata ex bonis Ecclesiæ. Quænam vero sint ista ustensilia, determinatur ex litteris Pii IX *Quum illud*, 1 junii 1847 (1).

1576 — Ustensilia episcoporum qui duas ecclesias rexerunt vel sucessive vel simul, dividi debent juxta proportionem in iisdem litteris determinatam. Inde sequitur omnem episcopum debere conficere in forma authentica inventarium hujus sacræ supellectilis, describendo speciali nota utrum hæc proveniant ex redditibus ecclesiæ, quod cæterum semper præsumitur.

1577 — S. R. E. Cardinales qui in Curia Romana morantur, exceptis suburbicariis et illis qui sunt abbates nullius, debent hæc eadem ustensilia relinquere ad Pontificium sacrarium, ex jure *spolii*, ad tramites constitutionum S. Pii V *Romani Pontificis* (2) et Urbani VIII *Æquum est* (3).

1578 — Clericorum decedentium *ab intestato*, omnia bona tradi debent in jus Ecclesiæ. Possunt quidem per testamentum disponere de suis bonis patrimonalibus et quasi-patrimonialibus ; de bonis autem quæ proveniunt ex beneficio, tantum ad causas pias (4) ; in dubio autem, res quas possident præsumuntur esse Ecclesiæ. In contrarium vero admitti possunt exceptiones, præsertim quando invaluit adversa longissima consuetudo.

1579 — Leges canonicæ admittunt contra res

(1) Cf. S. Cong. Concilii, 19 jan. 1884. Litteræ Em. card. Vicarii, 25 martii 1889. — (2) 8 jan. 1568. — (3) 19 jul. 1642. — (4) Cap. 9 et 12 tit. *De testamentis* XXVI, lib. III Decretal.

Ecclesiæ Romanæ et cæterarum ecclesiarum præscriptionem centum annorum tantum (1). Sufficit vero præscriptio XXX annorum si una ecclesia agat contra aliam ecclesiam.

§ 2. — De alienatione bonorum ecclesiasticorum.

1580 — Bona ecclesiastica sunt **mobilia** vel **immobilia** ; **pretiosa** vel **non pretiosa.** Item bona pretiosa, id est ea quæ superant valorem 25 ducatorum aureorum de Camera, seu circiter libellarum 221 (2), distinguuntur in bona *quæ servando servari possunt* et in bona *quæ servando servari non possunt.*

1581 — Res mobiles pretiosæ quæ servando servari non possunt et res mobiles non pretiosæ alienari possunt ad utilitatem ipsius ecclesiæ.

1582 — Res immobiles et res mobiles pretiosæ quæ servando servari possunt, alienari nequeunt, neque etiam ab una ecclesia ad aliam ecclesiam, nisi propter manifestam utilitatem alienationis, vel inutilitatem rei, et cum solemnitatibus juris, id est cum beneplacito Apostolico (3) .

1583 — Hoc beneplacitum ordinarie non conceditur nisi sub conditione publicæ licitationis, et investimenti in acquisitione novorum prædio-

(1) Can. 17 q. 3, causæ XVI, 2ª parte Decreti. — (2) S. Cong. Episc. et Regul. 22 mart. 1611, 1 maii 1840, et S. Cong. Concilii, 12 april. 1698 et 31 jul. 1827. — (3) Const. Pauli II, *Ambitiosæ,* 1 mart. 1467, cap. un. tit. *De rebus Ecclesiæ alienandis vel non* IV, lib. III. inter Extrav. Commun. ; cap. 1 ejusd. tit. XIII, lib. III Decretal. ; cap. 2 ejusd. tit. IX lib. III, in VI ; Decretum Urbani VIII, 7 sept. 1624 ; Benedicti XIV, *Motu proprio*, 27 nov. 1741 ; Decreta S. Cong. Episc. et Regul. 18 mart. 1835 et 28 aug. 1847 ; Resp. S. Pœnitent., 25 jan. 1880.

rum, in bonis stabilibus, tutis ac frugiferis (1).

1584 — Exceptiones non sunt nisi, quando bona donata sunt cum injunctione ea vendendi; — vel quando est præceptum judicis de alienatione ; — vel in casu urgentissimæ necessitatis ; — vel demum quando agitur de bonis immobilibus valde exiguis (2).

1585 — Notandum est voces, *bona ecclesiæ* et *alienatio* hic intelligi in sensu latiori, ita ut istæ regulæ applicari debeant omnibus bonis immobilibus vel non, et etiam juribus quæ possidet Ecclesia (3), vel quæ sub illius directione expendenda sunt in usus pios. Nec etiam alienari debent bona de quibus dubium est utrum sint vel non possessiones Ecclesiæ (4).

1586 — Ita etiam non solum prohibetur venditio aut donatio (5), sed alienatio improprie dicta ut hypotheca, locatio ad longum terminum, id est supra triennium etc. (6).

1587 — Contrafacientes plectuntur sequentibus pœnis: contractus eorum nullus est (7), et nullius valoris; — qui alienat et qui alienata percipit, incurrunt sententiam excommunicationis nemini reservatæ (8).

(1) Const. Pauli II *Ambitiosæ;* Pauli IV, *Injunctum nobis*, 14 jul. 1555; et Pii IV, *Apostolicæ,* 17 sept. 1565. — (2) Can. *Terrulas* 53 q. 2, causæ XII, 2ª parte Decreti. — (3) Cap. 1 et 2 tit. *De rebus Ecclesiæ* etc. IX, lib. III in VI. — (4) Cap. 8 ejusd. tit. XIII lib. III Decretal. — (5) Cap. 2 tit. *De donationibus* XXIV, lib. III Decretal. — (6) Cap. 5 et 9 tit. *De rebus Ecclesiæ* etc. XIII, lib. III Decretal.; Clementina 1 ejusd. tit. IV; cap. un. ejusd. tit. IV, in Extrav. Commun.; Conc. Trid. sess. XXV, cap. 11 de Ref. — (7) Cap. 11 et 12 tit. *De rebus Ecclesiæ* etc. XIII, lib. III Decretal. — (8) Const. *Ambitiosæ* et *Apostolicæ Sedis*, § IV. n. 3; Decretum S. Officii, 22 dec. 1880 et Resp. S. Pœnit., 21 maii 1897

1588 — Reclamare bona Ecclesiæ male alienata possunt et debent, 1° rector seu prælatus qui male alienavit; 2° successores ejusdem; 3° iisdem negligentibus, omnes clerici addicti ecclesiæ quæ fuit læsa (1).

1589 — Principes sæculares res Ecclesiæ donare non possunt, et qui illas ab eis recipiunt, excommunicantur (2), sicut et omnes usurpatores rerum Ecclesiæ (3). Inter istos non comprehenduntur fures (4).

CAPUT III.

De beneficiis.

SECT. I — DE BENEFICIIS GENERATIM.

1590 — Bona Ecclesiæ quorum redditus prius dividebantur in quatuor partes, in favorem scilicet episcopi, cleri, pauperum, et ecclesiarum reparationis (5), deinde magis divisa fuerunt et constituta sunt beneficia.

1591 — **Beneficium** definitur: Jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiæ, competens clerico propter officium suum spirituale, et aucto-

(1) Cap. 6 tit. *De rebus Ecclesiæ* etc. XIII, lib. III Decretal. — (2) Cap. 2 ejusd. tit. — (3) Bulla *In Cœna Domini* et const. *Apostolicæ Sedis,* §1, n. 11; Conc. Trid. sess. XXII cap. 11, de Ref. — (4) Const. Benedicti XIV, *Cum Encyclicas,* 24 maii 1754, et responsio S. Officii, 23 april 1873. — (5) Canon *Mos est* 30, et *Vobis* 23 q. 2 causæ XII, 2ª parte Decreti.

ritate ecclesiastica constitutum, juxta axioma : Beneficium datur propter officium (1).

1592 — Bona Ecclesiæ quæ constituunt id quod est temporale in beneficio, possunt esse mobilia vel immobilia, aut assignationes in personas, præsertim morales, et in gubernia civilia.

1593 — Inde sequitur salaria quæ traduntur pastoribus et canonicis ratione Concordatorum, inducere naturam beneficiorum vel bonorum ecclesiasticorum (2).

1594 — Ex natura sua, beneficia differunt a canonia, — a vicariatu, præsertim temporaneo, — a capellania, — a commenda, — a præstimonio et a pensione. Quæ omnia sunt analoga beneficio, sed ejus characterem essentialem non præseferunt.

1595 — Beneficia sunt sæcularia aut regularia, prout conferri debent sæcularibus vel regularibus ; — simplicia vel duplicia, prout beneficiatis imponitur tantum obligatio officii recitandi, vel ipsis incumbit jurisdictio, dignitas, administratio aut præeminentia. Item beneficia sunt majora vel minora, prout inferiora sunt vel non dignitati episcopali.

1596 — Beneficia duplicia minora distingui possunt in dignitates, personatus et officia et beneficia curata. Canonicatus ecclesiæ cathedralis recensentur inter beneficia duplicia.

1597 — Dignitates vocantur illi clerici qui ha-

(1) Cap. ult. tit. *De rescriptis* III, lib. I, in VI ; Conc. Trid. sess. XXI, cap. 3 de Ref. — (2) Ita fuit responsum pro Belgio a Sacra Pœnitentiaria, die 19 jan. 1819. Cf. S. Cong. Rituum, 22 maii 1841.

bent præeminentiam cum jurisdictione, ut olim archidiaconi; — Personatus, illi sunt qui habent præeminentiam sine jurisdictione, ut præpositi vel decani capitulorum; — Officia, illi sunt qui non habent præeminentiam sed administrationem, ut vicarii generales.

1598 — Beneficia sunt etiam electiva, patronata aut collativa, prout acquiruntur per electionem, per jurispatronatus exercitium, aut per concessionem solius prælati. — Sunt perpetua vel manualia, si illorum possessor sit ad nutum revocabilis vel non; — patrimonialia aut non patrimonialia, si quis habet vel non jus ad ea obtinenda ratione familiæ, originis, etc. — Demum sunt compatibilia vel incompatibilia prout retineri possunt vel non ab eadem persona.

1599 — Ad **erectionem** beneficii quatuor requiruntur, nimirum 1° interventus auctoritatis ecclesiasticæ legitimæ, id est Romani Pontificis aut episcopi, juxta diversas species; — 2° titulus seu officium spirituale adimplendum; — 3° constitutio dotis sufficientis; — 4° decretum erectionis.

1600 — **Immutatio** beneficiorum fit per eorum unionem, divisionem, dismembrationem vel suppressionem.

1601 — *Unio* beneficiorum definitur: duorum vel plurium beneficiorum aut ecclesiarum a superiore ecclesiastico legitime factaa nnexio. Potest esse

temporanea vel perpetua. Fit per exæquationem, vel per accessionem, vel per confusionem, et servari debent solemnitates juris.

1602 — Ad unionem beneficiorum faciendam requiritur, 1° justa causa vel necessitas (1); 2° aliqua causæ cognitio (2), secus unio erit subreptitia; 3° ut ii vocentur, quorum interest et in quorum præjudicium unio vergere potest (3); 4° consensus capituli ecclesiæ cathedralis, secus unio est nulla (4). — Eædem causæ ac solemnitates juris requiruntur ad dissolvendam unionem jam peractam.

1603 — Beneficia unius diœcesis nunquam uniri debent beneficio, aut monasterio, aut collegio aut etiam loco pio alterius diœcesis(5).

1604 — Clericus non debet recipere ac simul retinere plura beneficia, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine (6).

1605 — *Divisio* fit quando ex uno beneficio, duo aut plura de novo instituuntur. Hoc fit sive propter nimium numerum populi, sive propter locorum difficultatem. In secundo casu præsertim, episcopus procedere potest ad divisionem parœciarum, etiam invito rectore (7).

(1) Cap. 33 tit. *De præbendis* V, lib. III Decretal., — (2) Clementina 2ª tit. *de rebus Ecclesiæ alienandis vel non* IV, lib. III. — (3) Regula juris 29ª in VI. — (4) Clementina 2ª tit. IV lib. III; S. Cong. Concilii, 8 aug. 1615, et 14 oct. 1694. — (5) Conc. Trid. sess. XIV cap. 9, de Ref. — (6) Conc. Trid. sess. VII, cap. 4 de Ref. — (7) Cap. 26 tit. *de Præbendis* V, et cap. 3 tit. *de Ecclesiis ædificandis* XLVIII, lib. III, Decretal.; Conc. Trid. sess. XXI, cap. 4 de Ref.

1606 — Divisio autem beneficiorum est aliquid in jure odiosum, quod generatim prohibetur nec licitum fieri potest sine gravi ratione (1).

1607 — Quando unus rector non sufficit propter numerum populi, episcopus jus habet illum cogendi ad adhibendos cooperatores, etiam per divisionem fructuum beneficii (2). In hoc casu coadjutores assumuntur a parocho: secus autem fit si vicarius ponatur apud parochum, propter culpam ejusdem: tunc nominatio facienda est ab episcopo (3).

1608 — *Dismembratio* fit quando beneficii præexistentis, salva ipsius unitate, pars aliqua distrahitur et alteri beneficio adjungitur.

1609 — Generaliter prohibetur a jure, sed fieri potest ad episcopo, ex gravi causa, postquam vocati fuerint rector beneficii, patronus et etiam parochiani, si locus sit. Potest autem agere episcopus, etiam invitis rectoribus (4).

1610 — *Suppressio* seu exstinctio beneficiorum locum habet quando beneficium plane destruitur, et ejus redditus, si qui sint, alteri assignantur (5). Est aliquid in jure odiosum, quod contingere non debet, nisi ex gravi causa.

(1) Cap. 8 tit. *de Præbendis* V, lib. III Decretal. — (2) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 4 de Ref.; const. Innocentii XIII, *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723; S. Cong. Concilii, 8 maii 1756, aug. 20 1783, et 4 febr. 1786. — (3) S. Cong. Concilii, 4 maii 1737. — (4) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 4 de Ref.; S. Cong. Concilii, 27 jul. 1850. — (5) Conc. Trid. sess. XXI, cap. 7 de Ref.

Sect. II — De acquisitione beneficiorum.

1611 — Beneficia acquiruntur per electionem, per collationem et per institutionem.

1612 — **Electio** est personæ idoneæ ad prælaturam ecclesiæ vacantis, per suffragia legitimorum electorum, canonica vocatio, quæ ordinarie debet a superiore confirmari (1).

1613 — Electores necessario debent esse clerici. Excludendi sunt furiosi, impuberes, canonici nondum subdiaconi, personaliter interdicti vel suspensi ; et illi demum qui, propter culpam, voce activa privati fuerunt.

1614 — Electores tractare non possunt de electione ante prælaturæ vacationem (2). — Omnes vocandi sunt qui jus habent eligendi. — Præstitui debet dies electionis faciendæ. — Electores debent collegialiter adunari. — Electio debet esse libera et pacifica (3).

1615 — Electionis tres sunt præcipuæ formæ : fit per inspirationem, per scrutinium aut per compromissum (4).

1616 — Est *inspiratio* quando omnes electores, absque prævio tractatu, simul in eamdem personam omnes inveniuntur concordes.

(1) Cf. tit. *de Electione et electi potestate* VI, lib. I Decretal. — (2) Cap. 1 tit. *de Concessione eccl. aut præbendæ non vacantis* VIII, lib. III Decretal. — (3) Cap. 2 et 14 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal. — (4) Cap. 42, 48 et 50 ejusd. tit.

1617 — In electione per *scrutinium*, necesse est ut in personam electi consentiat saltem major et sanior (1) pars collegii electorum. — Majoritas debet esse absoluta (2).

1618 — Forma *compromissi* adhibetur quando omnes et singuli electores eligendi facultatem committunt aliquibus viris vel uni tantum qui, vice omnium, electionem perficiunt (3).

1619 — Electio facta, quocumque modo, debet statim communicari prælato immediato superiori, et ab eo petenda est confirmatio (4).

1620 — **Postulatio** est ad superiorem destinata petitio ut ad prælaturam vacantem admittere velit aliquem qui, propter impedimentum canonicum, eligi non valet, v. g. natalibus illegitimum (5).

1621 — **Collatio** est assignatio libera seu concessio beneficii vacantis facta legitime clerico idoneo ab ecclesiastica persona potestatem habente. — Aliquando in beneficiis conferendis servari debet forma concursus.

1622 — **Institutio** est concessio ecclesiæ vel beneficii vacantis, facta ex auctoritate episcopi aut alterius personæ ecclesiasticæ cuipiam clerico designato per nominationem vel præsentationem pa-

(1) Cap. 57 ejusd. tit. — (2) Cap. 29, 35 et 36 ejusd. tit. — (3) Cap. 8, 30, 32 et 33 ejusd. tit. — (4) Cap. 3 ejusd. tit. — (5) Cap. 20 ejusd. tit. cfr tit. V lib. I Decretal.

troni, quia beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri (1).

1623 — Stricte prohibetur ne collator aliquid sibi retineat de fructibus beneficii, nam principium est juris ecclesiastici : ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur (2).

1624 — Hæc autem imminutio prohibetur, sive fiat : 1° augendo onera beneficii, quin augeantur redditus ; 2° detrahendo aliquid quod exigatur sive pro una vice, sive per aliquod tempus ; 3° separando, dispositione stabili, aliquam partem fructuum, quæ constituat pensionem (3).

1625 — Hoc licet tantum in favorem Summi Pontificis, qui jus habet percipiendi *Annatas* scilicet : certam partem fructuum ex beneficiis (4), Romano Pontifici illiusque Curiæ in eorum collatione solvendam (5).

1626 — Episcopus potest, servata forma cujusdam decreti Tridentini, aliquid detrahere ex fructibus beneficiorum suæ diœcesis, quod applicandum est Seminariis, et hæc portio dicitur taxatio (6).

1627 — Beneficia conferuntur jure plenario a Romano Pontifice, jure ordinario ab episcopis, jure

(1) Regula juris I in VI. — (2) Ita tit XII, lib. III, Decretal. ; const. S. Pii V *Durum nimis* 1 jun. 1570 et Innocentii XII, *Ecclesiæ*, 22 sept. 1695. — (3) Cong. Concilii, 17 maii 1633, 6 april. 1647, 18 april. 1863, 9 dec. 1865, 2 april. 1887. — (4) Est ordinarie dimidia pars fructuum unius anni. — (5) Const. Pauli II, *Decet*, 6 jan. 1469; Innocentii VIII, *Apostolicæ*, 17 febr. 1485 ; Pauli IV, *Decens esse*, 23 jan. 1558, Sixti V, *Cameræ nostræ*, 14 maii 1586, et Urbani VIII, *Postquam*, 17 dec. 1637. — (6) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 18 de Ref.

autem delegato a cardinalibus in quibusdam casibus et a cæteris quibus id fuit concessum sive per indultum Pontificis, sive ex tabulis fundationis, sive ex præscriptione centenaria aut immemoriali. Nemo autem potest sibimetipsi beneficium conferre (1).

1628 — Omnium beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum Pontificem noscitur pertinere (2).

1629 — Eo jure utitur Pontifex per *præventionem*, quando per litteras *exspectativæ* aut *de providendo* disponit de beneficio adhuc non vacante.

1630 — Beneficia conferuntur per *affectionem* et per concursum, quando Pontifex sibi ad actum reservat nominationem ad beneficium vacans, etiam concurrendo cum collatore ordinario, ita ut potior sit ille qui prior egit.

1631 — Idem Pontifex confert beneficia per *devolutionem*, ad supplendam negligentiam illius qui non contulit aut male contulit.

1632 — Etiam confert per *reservationem* quæ est beneficiorum ecclesiasticorum vacantium per Romanum Pontificem ad se facta avocatio, illorum v. g. qui vacabant apud Curiam Romanam (3).

(1) Cap. 3 tit. *de Excessibus prælatorum* XXXI, lib. V Decretal. — (2) Cap. 2, *de Præbendis* IV, lib. III in VI. — (3) Cap. 2 tit. *de Præbendis* IV, lib. III in VI; cap. 1, 3 et 13 tit. *de Præbendis II*, in Extrav. Comm.; cap. 4 tit. *de Electione* III, lib. I in Extrav. Comm.; const. Pii IV, *Romanum Pontificem*, 17 oct. 1564. Gregorii XIII, *In Ecclesiis* 13 nov. 1580 et *Humano vix*, 5 jan. 1584, et Sixti V, *Cum sicut*, 1 jan. 1589, *Cum sacrosanctam*, 9 jun 1589, et *In conferendis*, 23 jan. 1590.

1633 — Post Pontificem, collator ordinarius beneficiorum est episcopus in sua diœcesi (1). Cum episcopo, in hoc concurrit legatus a latere in provincia suæ legationis (2). Contra episcopum, cæteri collatores debent jus suum probare.

1634 — Ut beneficium alicui conferri queat, requiruntur quædam conditiones positivæ, scilicet iste debet esse: 1° clericus; — 2° in canonica ætate, quæ superare debet 14 annos pro beneficio simplici, 25 annos, si agatur de beneficio cum cura animarum, et 22 annos si agatur de dignitate aut de personatu, alioquin collatio est nulla (3); — 3° ex legitimis ortus natalibus, alioquin dispensare potest episcopus, si agatur de beneficio simplici (4); — 4° præditus scientia sufficienti; — 5° ornatus dotibus specialibus forsitan prævisis in erectione beneficii, v. g. doctoratu, etc. (5).

1635 — Beneficia regularia conferantur tantum religiosis ejuedem ordinis, vel iis qui habitum omnino suscipere et professionem emittere tenentur (6).

1636 — Requiruntur etiam conditiones negativæ, scilicet acquirere non potest beneficium clericus conjugatus, vel excommunicatus (7), suspensus, nterdictus aut irregularis.

(1) Cap. 1 tit. *de Capellis monachorum* XXXVII, lib. III, et cap. 12 tit. *de Hæreticis* VII, lib. V Decretal. — (2) Cap. ult. tit. *de officio legati* XV, lib. I in VI. — (3) Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref. — (4) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 6 de Ref. — (5) Conc. Trid. Ibid. — (9) Cap. 13, 27, et 38 tit. *De Electione* VI, lib. I Decretal. et Conc. Trid. sess. XIV, cap. 10 de Ref. — (7) Cap. 7 tit. *de Clerico excommunicato* etc. XXVII, lib. V Decretal.

1637 — Inter dignos, dignior est eligendus.

1638 — Eligentes scienter indignum puniri possunt ex privatione vocis sive activæ sive passivæ in electione futura (1).

1639 — Collatio beneficii semper fieri debet in scriptis. Si plures impetrent eamdem ecclesiam, attenditur datæ, ut primus impetrans præferatur et solus admittatur (2).

1640 — Non valet collatio, neque præsentatio, neque promissio de beneficio non vacante (3). Illa lex tamen non obligat Romanum Pontificem.

1641 — Post collationem fieri debet **possessio** seu apprehensio beneficii.

1642 — Effectus possessionis sunt quod possessor liber efficitur ab onere probandi jus suum; in favorem ipsius existit præsumptio, et, modo sit in bona fide, fructus facit suos.

1643 — Præsentati seu electi seu nominati ad quævis beneficia nunquam instituantur, nec confirmentur nec admittantur, nisi prius a locorum Ordinariis fuerint examinati, et idonei reperti.

1644 — Omnes beneficiarii animarum curam habentes, canonici et dignitates ecclesiarum cathedralium professionem fidei emittere tenentur juxta

(1) Cap. 25 et 26 tit. *de electione* VI, lib. I Decretal. — (2) Cap. 30 et 39 tit. *de rescriptis*, III lib. I Decretal. — (3) Cap. 2, 3, 13 et 16 tit. *de concessione Prebendæ* etc. VIII, lib. III Decretal.; Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 19, de Ref.; const. S. Pii V *Sacrosanctum*, 9 sept. 1568; S. Cong. Concilii, 15 jan. 1780.

formam præscriptam a Pontificibus Pio IV et Pio IX, infra duos menses a die possessionis adeptæ. Secus, jure privantur percipiendi fructus et possessio eis non prodest (1).

1645. — Condonatio fructuum male perceptorum propter hanc omissionem fieri nequit ab Ordinario, sed tantum a Sede Apostolica (2).

1646. — Hæc professio fidei fieri debet personaliter et non per procuratorem, neque coram delegato ab episcopo.

1647 — Ille qui habet beneficium cum cura animarum tenetur ad residentiam, nec excusatur ex modica æstimatione fructuum ejusdem. Si autem in absentia perseveraverit post monitiones debitas, potest a beneficio privari (3).

1648 — Nemini licet plura simul habere beneficia, dignitates aut personatus. Ille qui plura habet beneficia, debet unum retinere et alia dimittere (4).

1649 — Si quis ad secundum beneficium nominetur, non tantum secunda nominatio est nulla, sed ipse potest utroque beneficio privari.

1650 — Solius est Papæ dispensare super beneficiorum pluralitate (5), et hæc dispensatio debet esse expressa.

(1) Cap. 4 tit. *de Electione* VI lib. I Decretal.; Conc. Trid. sess. XXIV, cap. 12 de Ref.; S Cong. Concilii, 2 jan. 1877. — (2) S. Cong. Concilii, 17 april. 1728. — (3) Tit. *de Clericis non residentibus* IV, lib. III Decretal. — (4) Cap. 5, 7, 14, 15, 18 et 28 tit. *de Præbendis* V, lib. III Decretal. et Extrav. 2ª tit. *de officio judiciis ordinarii* VII, lib. I. — (5) Cap. 28 tit. *de Præbendis* V, lib. III Decretal., et Extrav. Joannis XXII, *Execrabilis*, tit. III; Conc. Trid. sess. VII, cap. 4, sess. XXIV, cap. 17 et sess. XXV. cap. 15 de Ref.

1651 — Omnino prohibetur ut beneficiatus sibi, et etiam nomine alieno, attribuat de redditibus Ecclesiæ id quod superfluum est propriæ sustentationi, nec etiam potest id transmittere cæteris per viam testamenti aut successionis (1). Potest tamen ipse quasdam eleemosynas elargiri (2).

1652 — Bona ita derelicta quæ proveniunt ex fructibus beneficiorum, debent eisdem beneficiis attribui, et dividi inter plura, si plurimorum beneficiorum clericus fuerit possessor (3).

SECT. III — DE VACATIONE BENEFICIORUM.

1653 — **Ex libera voluntate** beneficiati vacant beneficia per demissionem seu renuntiationem, per resignationem et per permutationem.

1654 — *Renuntiatio* definitur : Spontanea cessio seu dimissio proprii beneficii facta ex aliqua justa causa coram legitimo superiore illam approbante.

1655 — Causæ legitimæ renuntiationis exprimuntur sequentibus versibus:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit (4).

1656 — Non tamen omnis debilitas sufficit, v. g. infirmitas aut senectus, sed illa tantum ex qua quis omnino impotens fit ad exequendum officium (5). Hæc præsertim de episcopis.

— (1) Cap. 4 et 5 tit. *de Peculio clericorum* XXV, et cap. 1, 2, 7, 8 et 12 tit. *de Testamentis* XXVI, lib. III, Decretal ; Conc. Trid. sess. XXV, cap. 1 de Ref. — (2) Cap. 8 tit. *de Testamentis* XXVI, lib. III Decretal. — (3) Cap. 12 ejusd. tit. — (4) Cap. 10 tit. *de Renuntiatione* IX, lib. I Decretal. — (5) Cf. const. S. Pii V, *Quanta Ecclesiæ*, 1 april 1568.

1657 — Beneficium non censetur vacans per dimissionem nisi post acceptationem a prælato (1). Generatim ille potest puram dimissionem acceptare qui potest beneficium conferre.

1658 — Clericus potest renuntiare beneficio suo ut religionem ingrediatur. Si autem episcopus sit, habenda est venia Romani Pontificis. Si autem sit clericus inferior, petenda est licentia ab episcopo, qui illam rationabilîter recusare non potest : nemo enim recipiendus est in statu regularium nisi cum litteris testimonialibus sui episcopi (2).

1659 — Dimissio seu renuntiatio est expressa vel tacita. Est expressa quando aliquis, disertis verbis, cedit beneficium. Est tacita quando facit beneficiarius aliquid, unde ex jure renuntiatio consequitur, v. g. si clericus minor contrahat matrimonium, si aliquis ingrediatur religionem vel acceptet beneficium incompatibile (3).

1660 — Demissio potest esse pura et absoluta vel conditionalis, id est vel sub reservatione pensionis, vel in favorem tertiæ personæ et tunc dicitur *resignatio*.

1661 — Ordinarie resignationes debent a Summo Pontifice approbari. Prohibentur præsertim absque venia Pontificis resignationes conditionales quæ dicuntur *accessus*, *ingressus* et *regressus*,

(1) Cap. 1 et 4 ejusd. tit. Cf. S. Cong. Concilii, 14 aug. 1880, 10 sept. 1881. — (2) Decretum Cong. *Super statu regularium*, 25 jan. 1848. — (3) Decretum S. Cong. Concilii, 23 dec. 1624, confirmatum ab Urbano VIII, 20 mart. 1625 : S. Cong. Concilii, 28 jul. 1877.

vel in favorem tertii quæ dicuntur *non aliter* (1).

1662 — Beneficium litigiosum resignari non potest nisi in favorem alterius partis collitigantis.

1663 — Episcopus vel ordinarius collator non potest beneficium cujus acceptavit resignationem conferre suis aut resignantis consanguineis, vel affinibus, vel familiaribus (2).

1664 — Renuntiatio facta propter metum amissionis beneficii considerari debet tanquam nulla quia quæ metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari (3).

1665 — *Permutatio* est duorum beneficiatorum demissio sub ea conditione ut uterque alterius dimittentis beneficium consequatur. Ordinarie vetantur tales permutationes (4).

1666 — Resignationes omnes sive permutationis causa sive in favorem personæ designatæ non valent si resignans aut permutans decesserit ante diem vigesimum a facta resignatione, et exhibito in Cancellaria Apostolica mandato (5). Ideo resignationes necessario publicari debent sub pœna nullitatis (6).

1667 — Ex necessitate vacant beneficia per mor-

(1) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 7 de Ref.; const. Pauli IV, *Inter cæteras*, 27 nov. 1557. — (2) Const. S. Pii V, *Quanta Ecclesiæ*, 1 april. 1568. — (3) Cap. 2 et 4 tit. *de His quæ vi metuve fiunt* etc. XL, lib. I Decretal. — (4) Conc. Trid. sess. XXV, cap. 7 et 15 de Ref. — (5) Ex Reg. XIX Cancellariæ Romanæ. — (6) Const. Gregorii XIII, *Humano vix*, 5 jan. 1583, et Benedicti XIV, *Ecclesiastica ministeria*, 15 jun. 1746.

tem naturalem et aliquando per mortem civilem beneficiati, illius v. g. qui vota solemnia in religione emittit.

1668 — Infirmitas autem non est ratio sufficiens ut clericus privetur suo beneficio. Rectori autem aut episcopo qui propter infirmitatem officium adimplere nequit dandus est coadjutor. (1)

1669 — Vacant beneficia propter crimina, quibus patratis, ipso jure, amittitur beneficium, et sunt: hæresis (2), apostasia a fide (3), simonia confidentialis (4), percussio et realis offensio cardinalium et episcoporum (5), assassinium (6), procuratio abortus (7), falsificatio Litterarum Apostolicarum (8), duellum (9), et injusta bonorum Ecclesiæ et locorum piorum occupatio (10).

1670 — Alia sunt etiam delicta propter quæ judex infligere potest pœnam privationis beneficii post inutilem comminationem et sunt: defectus in residentia, (11) non susceptio ordinis tempore præfinito (12),

(1) Cf. tit. *de Clerico Ægrotante vel debilitato*, VI, lib III Decretal. — (2) Cap. 9 tit. *de Hæreticis* VII, lib. V Decretal. — (3) Cap. 13 ejusd. tit. II, in VI. — (4) Const. Pii IV, *Romanum Pontificem*, 17 oct. 1564 et S. Pii V, *Intolerabilis*, 14 nov. 1569. — (5) Cap. 5 tit. *de pœnis* IX, lib. V, in VI et Clement. 1 ejusd. tit. VIII, lib. V. — (6) Cap. 1 tit. *de Homicidio* IV, lib. V, in VI. — (7) Const. Sixti V, *Effrænatam*, 20 oct. 1588 et Gregorii XIV, *Sedes Apostolica*, 31 maii 1591. — (8) Cap. 7 tit. *de Crimine falsi* XX, lib. V, Decretal. — (9) Const. Pii IV, *Ea quæ*, 13 nov. 1560 et Clementis VIII, *Illiusvices*, 17 aug. 1592. — (10) Conc. Trid. sess. XX, cap. 11 de Ref. — (11) Conc. Trid. sess. VI, cap. 1 et sess. XXIII cap. 1 de Ref. — (12) Conc. Trid. sess. XXII, cap. 4. de Ref.

usus non deferendi vestem clericalem (1), concubinatus, fœnus et alia hujusmodi.

1671 — Pœna privationis beneficii recensetur inter graviores, nec applicari potest nisi propter gravem causam, eadem causa plenissime probata, et post trinam monitionem inutiliter præmissam (2). Ideo hæc poena infligenda non est nisi in contumaces et non ratione actus unius quantumvis culpabilis.

— (1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 6. de Ref.; const. Sixti V, *Cum Sacrosanctam*, 9 jan. 1589, Innocentii XIII. *Apostolici*, 23 maii 1723 et Benedicti XIII, *In Supremo militantis*, 23 sept. 1724. — (2) S. Cong. Concilii, 10 febr. 1770, 10 sept. 1881.

TRACTATUS TERTIUS
DE JUDICIIS ET DE PŒNIS

LIBER PRIMUS
DE JUDICIIS

CAPUT I
De Personis intervenientibus in judicio.

SECT. I. — DE JUDICIO IN GENERE.

1672 — Existit in Ecclesia **judiciaria potestas** quæ illi competit ex jure divino. Extensio exercitii hujusce juris, varia fuit pro diversis temporibus.

1673 — Sunt tamen causæ quæ, ex natura sua, exclusive pertinent ad forum ecclesiæ : in specie, illæ quæ spectant sacramenta, necnon officia et jura ministerio sacro adnexa (1).

1674 — Judicium ecclesiasticum illud est in quo dirimuntur causæ ad forum ecclesiasticum perti-

(1) Cfr. Concordata inita a Pio IX cum Imperatore Austriæ, anno 1855. art. 10.

nentes, sive cui præest clericus, potestate ab Ecclesia sibi facta.

1675 — Judicium generatim definitur : legitima causæ inter actorem et reum controversæ per judicem facta discussio et definitio.

1676 — Actor ille est qui juris experiundi causa aliquem in judicium vocat.

1677 — Reus, ille est qui in judicium vocatur.

SECT. II — DE JUDICE.

1678 — **Judex,** ille est qui utrique parti jus dicit : solet esse ordinarius vel delegatus.

1679 — Judices ordinarii sunt : Romanus Pontifex, pro universo orbe ; episcopi in propria diœcesi et Prælati *nullius* in territorio sibi subdito. Nam « natura et ordo judicii illud exposcit ut sententia in subditos duntaxat feratur » (1).

1680 — Iisdem assimilantur legati Apostolicæ Sedis et episcoporum vicarii generales seu officiales, qui, licet delegati sint, habentur tanquam judices ordinarii.

1681 — « Cuncta per mundum novit Ecclesia quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi ; neque cuiquam ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est : ab illa autem nemo est appellare permissus » (2).

(1) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 7 de Ref. Cfr. cap. 8 ejusd. sess. — (2) Gelasius Papa : can. 17, q. 3 causa IX, 2ª parte Decreti.

1682 — Judex **Ordinarius**, — 1° exercet jurisdictionem nomine proprio et non alieno ; — 2° alium delegare potest ; — 3° agere valet in toto suo territorio, et ille qui se dicit exemptum debet illud probare.

1683 — Judex **delegatus** ille est qui propriam jurisdictionem non habet, neque exercet proprio suo nomine, sed fungitur ejus qui delegavit munere et vice.

1684 — Delegatio potest esse generalis vel restricta, realis aut personalis. — Jurisdictio delegati extenditur ad res prævisas in delegatione, et etiam ad ea quæ sunt connexa et necessaria ut ipse rem possit ad exitum perducere.

1685 — Judex delegatus ordinarie subdelegare non potest, nisi sit delegatus ad universitatem causarum, vel a Romano Pontifice.

1686 — Delegatio dari potest pluribus, et ipsis vel conjunctim vel in solidum. — Prior modus in dubio, præsumitur. In secundo casu datur locus præventioni, id est illius est judicare, qui, prior, rem tractare incœpit.

1687 — Sæpe episcopi agere valent tanquam delegati a Romano Pontifice. In hoc casu, appellatio fieri nequit nisi ad Romanum Pontificem ; eorum vicarii generales ita procedere non possunt, nisi ex mandato speciali, et, sede vacante, hæc potestas non transit in capitulum.

1688 — Cessat delegatio pluribus modis : morte

delegati, nisi delegatio fuerit realis ; — morte delegantis, si res adhuc sit integra ; — revocatione mandati ; — lapsu temporis præfiniti in mandato ; — prolatione seu executione sententiæ.

1689 — Judices esse non possunt surdi, muti, furiosi, impuberes et viginti annorum minores, infames, excommunicati, servi et mulieres, nec laici, in causa ecclesiastica nisi ex delegatione Papæ (1).

1690 — Judex est **legum minister** et custos et non arbiter. Ideo, judicare debet juxta legem (2). — Ubi vero casus in lege non est expressus, judicandum est juxta æquitatem ; attamen semper attendere potest et debet ad circumstantias facti (3).

1691 — In casibus dubiis, — *in civilibus,* judicandum est juxta axioma : melior est conditio possidentis, (4) præterquam in causa liberali, in qua pro libertate sententia est proferenda ; — *In criminalibus* vero, favendum est reo, quia præstat nocentem absolvere quam condemnare innocentem (5).

1692 — Judex debet abnuere in judicio omnem sensum procedentem ex amore, ex odio, ex amicitia, etc. Item munera etiam sponte oblata, debet

(1) Cap. 2 tit. *de Judiciis* I, lib. II Decretal ; S. Cong. Immunitatis, 3 oct. 1832. — (2) Non licebit judici de ipsis (legibus) judicare, sed secundum ipsas. (can. 3 dist. IV, 1ª parte Decreti.) — (3) Cap. 6 tit. *de Homicidio* XII, lib. V Decretal. — (4) Cap. 3 tit. *de Probationibus* XIX, lib. II Decretal. — (5) In Pœnis benignior est interpretatio facienda (Reg. Juris XLIX in VI).

omnino recusare (1) — Nam in judiciis non est personarum acceptio facienda (2).

1693 — Judex supplere debet omissa a partibus vel ab advocatis. Ideo examinare debet accusationem, et ineptam rejicere, deferre juramentum partibus, probationes inquirere, parti ignoranti vel pauperi advocatum dare etc. Ita de causis matrimonialibus et super professione religiosa, Benedictus XIV const. *Dei miseratione* et *Si datam.*

Sect. III. — De arbitris.

1694 — **Arbitrorum** nomine designantur judices extraordinarii, electi ex voluntate litigantium ad lites cognoscendas et terminandas. Eligi debent numero impari (3).

1695 — Dicuntur arbitratores si, ex æquo et bono, lites et negotia tractare debeant. Nominantur arbitri proprie dicti si agant juris ordine servato, observatis saltem illis quæ substantialia sunt in judiciis.

1696 — Sunt voluntarii, si eligantur a partibus, nemine jubente; sunt necessarii, si nominentur ex præcepto legis, ut v. g. cap. 14 tit. *de Rescriptis III,* lib. I Decretal.

1697 — Arbitrorum potestas pendet unice a vo-

(1) Cap. 10 tit. *de Vita et honestate clericorum* I, lib. III Decretal. — (2) Reg. XII Juris, in VI. —(3) Cap. 1 tit. *de arbitris* XLIV, lib. I Decretal.

luntate litigantium qui illos elegerunt vel qui compromissum fecerunt, nec extenditur ultra ea quæ comprehenduntur in compromisso (1).

1698 — Effectus arbitrii voluntarie constituti hi sunt: 1° finis imponitur liti, ita ut partes appellare nequeant; — 2° suspenditur ordinaria jurisdictio judicis.

1699 — Generatim, compromittere possunt illi qui valent contrahere et disponere de re quæ litis est objectum (2).

1700 — In arbitros constitui possunt illi omnes qui a jure non prohibentur. Jure ecclesiastico, non excluduntur judices ordinarii, sed laici in causis spiritualibus et ecclesiasticis (3), et regulares.

1701 — Cessat officium arbitrorum per sententiæ prolationem; — per mortem arbitrorum; — per mortem unius ex compromittentibus (4); — per elapsum tempus præfixum; — per mutuum consensum partium.

Sect. IV. — De actore et de reo.

1702 — Illi omnes **actores** esse queunt qui a jure non prohibentur.

1703 — Jure canonico, speciatim prohibentur excommunicati (5) præterquam in causa propriæ ex-

— (1) Cap. 6 ejusd. tit. — (2) Sic, clericus non potest compromittere de decimis suæ parœciæ (cap. 3 ejusd. tit.), nec ecclesia exempta, in præjudicium suæ exemptionis (cap. 5 ejusd. tit.) — (3) Cap. 8 ejusd. tit. — (4) Cap. 14 ejusd. tit. — (5) Cap. 7 tit. *de Judiciis* I, lib. II Decretal.

communicationis aut in appellatione ab eadem; religiosi, in causis personalibus, et prælati, in quibusdam casibus, sine consensu capituli; — generatim etiam admittuntur exclusiones contentæ in jure civili.

1704 — **Rei** omnes esse possunt etiam minores et mulieres.

1705 — Actores et rei possunt in judicium venire sive per se, sive per alium, id est per advocatum et procuratorem.

Sect. V. — De procuratore et de advocato.

1706 — **Procurator** ille est qui negotia clientis administrat sive in judicio sive extra judicium. Advocatus vero ille est qui pro cliente in judicio postulat ejusque causam secundum jura legitime defendit. (1).

1707 — **Advocatus** debet in favorem clientis argumenta perpendere et exponere. Ideo præditus esse debet scientia, probitate et diligentia. — Eædem qualitates reperiri debent in procuratore.

1708 — Advocati et procuratores constitui nequeunt hæretici, excommunicati (2), infames, mulieres, monachi nisi in causa sui monasterii et clerici, nisi coram tribunalibus ecclesiaticis.

1709 — Mandatum procuratori datum debet esse in scriptis. Potest esse generale vel speciale.

(1) Tit. *de Procuratoribus* XXXVIII, lib. I Decretal. — (2) Cap. 7 tit. *de Probatioribus* XIX [illegible] etal.

De extensione illius judicatur ex litteris mandati.

1710 — Mandato procuratoris, post litem contestatam a Domino revocato, si, hoc ignorante judice vel adversario factum fuerit, judicium quod idem quasi procurator postmodum expertus est, ratum esse debebit (1).

1711 — Procuratorem constituere valent non tantum personæ singulares, sed etiam communitates (2). In hoc ultimo casu, aliquando vocatur syndicus (3).

CAPUT II.

De Discussione Causæ.

SECT. I. — DE FORO COMPETENTI.

1712 — *Forum* est locus ad lites exercendas destinatus; sed sumitur etiam ista vox ad designandum judicem, cujus est litem terminare.

1713 — Judex competens ille est qui potestatem legitimam habet ad causam discutiendam et ad sententiam proferendam.

1714 — Si dubium existat de competentia, hoc judicari debet imprimis sive a judice ipso, sive ab arbitris (4).

(1) Cap. 13 tit. *de Procuratoribus* XXXVIII, lib. I Decretal. — (2 Cap. 7 tit. *de Procuratoribus* XXXVIII, lib. I Decretal. — (3) Tit. *de Syndico* XXXIX, lib. I Decretal. — (4) Cap. 2 tit. *de Appellationibus* XV, lib. II in VI.

1715 — Distinguitur imprimis forum ecclesiasticum et forum civile.

1716 — Competens est forum ecclesiasticum ad terminandas causas ecclesiasticas majores vel minores, præsertim vero causas criminales clericorum (1).

1717 — Coram Romano Pontifice tractari debent causæ majores, ut sunt causæ cardinalium, patriarcharum, metropolitanorum et causæ criminales episcoporum, quando agitur de depositione aut de privatione beneficii.

1718 — Distinguuntur etiam forum domicilii seu habitationis; — forum contractus; — forum rei sitæ et forum delicti (2).

1719 — Forum domicilii quod potest esse vel habitationis, vel originis vel quasi-domicilii est forus præcipuus et naturalis, quia, ordinarie, ex domicilio aliquis fit subditus judicis in cujus territorio manet.

1720 — Adest forus contractus quando quis in alieno territorio contrahit vel contrahere fingit.

1721 — Adest forus rei sitæ quando aliquis potest conveniri coram judice in cujus territorio stat res litigiosa (3).

(1) De omni crimine clericus debet coram ecclesiastico judice conveniri; non debet in hac parte canonibus ex aliqua consuetudine præjudicium generari. (cap. 8 tit. *de Judiciis* I, lib. II Decretal.) Ne pro defectu justitiæ, clerici trahantur a laicis ad judicium sæculare: quod omnino fieri prohibemus (cap. 17 ejusd. tit.). — (2) Cap. 20 tit. *de Foro competenti* II, lib. II Decretal. — (3) Cap. 3 tit. *de Foro competenti* II, lib. II Decretal.

1722 — Adest forus delicti quando aliquis subjicitur judici in cujus territorio delictum commisit et ab eodem puniri potest, licet alias subditus non sit.

1723 — Facile contingit ut actoris et rei idem non sit forus. In hoc casu, solet applicari **axioma :** Actor sequitur forum rei (1) .

SECT. II. — DE PROCESSU.

1724 — Judiciales disceptationes **procedere debent** juxta ordinem prævisum a lege.

1725 — Dicitur **processus**: Dispositio idonea actuum omnium judicialium secundum eam methodum et formam quam leges præscripserunt.

1726 — Ratione ordinis judiciarii, judicia sunt solemnia vel summaria, prout omnes multiplices juris solemnitates adhibentur vel quædam omittuntur.

1727 — Ex concilio Tridentino (2) , facta est episcopis facultas procedendi, ut dicitur *ex informata conscientia*, ita ut ipsi interdicere possint sive ascensum ad ordines superiores, sive exercitium ordinum receptorum ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter.

SECT. III. — DE LIBELLO ET DE CITATIONE.

1728 — **Libellus** est ipsa actoris petitio, qua ipse

(1) Cap. 8 ejusd. tit. — Cfr. cap. 5 ejusd. tit. et can. 15 et 16, q. 1 causæ XI, 2ª parte Decreti. — (2) Sess. XIV, cap. 1 de Ref. cfr. art. 1848 et seqq.

distincte exponit judici quid, quo jure, et contra quem postulat, et ejus implorat officium (1).

1729 — Libellus continere debet necessario nomina judicis, actoris et rei, et exprimere rem petitam necnon et quo jure fit petitio.

1730 — Libellus mutari et emendari potest quocumque tempore, sed ante litem contestatam; postea transit in quasi-contractum inter partes.

1731 — **Citatio** est actus judicis quo reus in judicium vocatur.

1732 — Est verbalis quando fit tantum verbis aut litteris. — Est personalis quando reus apprehenditur et tenetur in custodia, quod fit tantum in causis criminalibus.

1733 — Ordinarie fieri debet per nuntium aut apparitorem; aliquando vero per vocem præconis aut per edictum publico loco affixum.

1734 — Citatio est simplex vel peremptoria. — Peremptoria illa est quæ æquivalet tribus, et quæ adeo imponit necessitatem comparendi, ut statim reus qui illi non paret, fiat contumax. — Citatio nunquam præsumitur peremptoria nisi id expresse enuntietur.

1735 — Citatio est specialis vel generalis, — prout dirigitur ad certam personam, vel ad omnes quorum interest ut in jus vocentur.

1736 — Citatio, ut sit legitima, necessario continere debet: 1° nomen et cognomen judicis; 2° no-

(1) Tit. *De libelli oblatione* III, lib. II Decretal.

men et cognomen actoris et citati; 3° exponenda est causa citationis; 4° designari debet locus judicii habendi, sicut et dies certa, in qua reus comparere debet.

1737 — Effectus citationis isti sunt : 1° obligat reum ad comparendum; 2° inducit præventionem inter plures judices, si casus sit; 3° perpetuat jurisdictionem judicis delegati; 4° interrumpit præscriptionem; 5° reddit rem litigiosam et facit quod res non sit amplius integra (1).

1738 — Effectus inobedientiæ rei citati vocatur *contumacia*. — Contumax ille est qui judicis citationem despicit et contemnit. — Contumax puniri potest etiam per excommunicationem, non autem suspendi a beneficio (2).

1739 — Contumacia est vera vel tacita, quando scilicet pars citata, post edictum peremptorium, comparere recusat, vel quando reus, dolo et fraude, ita agit ut citatio ad illum pervenire nequeat.

1740 — Contumacia effectus habet pro actore quod, ante litem contestatam, censetur renuntiare instantiæ, condemnandus est ad expensas solvendas, nec admittendus est ad novum processum instituendum nisi data cautione (3). — Post vero litem contestatam reus ab instantia absolvetur, et actor expensas solvere debebit (4).

(1) Clement. 2ª tit. *Ut lite pendente nihil innovetur* V, lib. II. — (2) Cap. 1 tit. *de Judiciis* I, lib. II Decretal. — (3) Cap. 1 tit. *De dolo et contumacia* VI, lib. II, in VI. — (4) Juxta axioma : mora sua cuilibet est nociva. (Regula juris XXV, in VI).

1741 — Si reus vero fuerit contumax, actor statim mittitur in possessionem rei disputatæ, quam detinet tanquam pignus ; et si contumacia perseveraverit per annum, ex secundo decreto judicis, idem mittetur in possessionem tanquam verus dominus.

SECT. IV. — DE EXCEPTIONIBUS.

1742 — **Exceptio est** quævis defensio allata a reo, qua ipse actoris intentionem vel actionem ad tempus retardat, aut in perpetuum elidit. Ideo est dilatoria vel peremptoria.

1743 — Exceptio dilatoria peti potest vel ex persona judicis et tunc vocatur declinatoria, vel ex persona actoris, vel ex persona rei, vel ex forma processus.

1744 — Exceptio dilatoria fundata super qualitatibus personæ judicis vocatur recusatio.

1745 — Si in causa excommunicationis judex habeatur ut suspectus, utraque pars eligere debet arbitros, qui de causa suspicionis cognoscant ; si concordes non sint, tertius ab iisdem eligatur arbiter (1).

1746 — Judex statuere debet terminum ad omnes dilatorias exceptiones proponendas; quo elapso, excipientem non audiet, nisi in casibus prævisis a jure (2).

1747 — Exceptiones peremptoriæ sunt vel simpliciter peremptoriæ, et tunc non impediunt insti-

(1) Cap. 61 tit. *de Appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. — (2) Cap. 4 tit. *de Exceptionibus* XXV, lib. II. Decretal.

tutionem novi processus; vel dicuntur litis finitæ, et excludunt in perpetuum actionem actoris.

1748 — Exceptiones dilatoriæ et præsertim declinatoriæ proponi debent ante litem contestatam. Exceptiones vero peremptoriæ proponi possunt post litis contestationem vel etiam post sententiam prolatam, ut impediatur judicii executio.

1749 — Exceptionis effectus duplex est : 1° reus fit actor et probare debet exceptionem ; — 2° exceptione probata, excluditur actio sive ad tempus sive in perpetuum.

1750 — Actor vero potest elidere exceptionem per replicationem, quæ est exclusio exceptionis.

1751 — Reus procedere potest etiam contra actorem, per mutuam petitionem seu reconventionem, quæ locum habet dum reus citatus aliquid vicissim petit ab actore in eodem judicio.

1752 — Reconventio locum habere potest vel ante vel post litis contestationem, et etiam post sententiæ prolationem, sed ante executionem judicii.

SECT. V. — DE ORDINE COGNITIONUM.

1753 — Quando judex habet plures simul quæstiones examinandas, et solvendas, sequi debet **ordinem** ex jure statutum.

1754 — Duæ regulæ hac de re positæ sunt : 1° prius cognoscenda est causa a qua altera pendet ; — 2° si neutra pendet ab altera, videri debet prior illa quæ prior fuit proposita.

1755 — Ideo causa criminalis tractanda est ante

causam civilem ; — prius judicari debet causa quæ dicitur præjudicialis, scilicet ex cujus decisione pendet decisio alterius causæ (1); — de exceptionibus judicandum est ante causam principalem, sicut et de quæstionibus incidentibus (2). — Etiam priores esse debent causæ præparatoriæ, scilicet illæ quæ viam expeditiorem parant ad controversiam dirimendam.

Sect. VI. — De litis contestatione.

1756 — Litis contestatio fit per petitionem in jure propositam et responsionem negativam contestationi coram judice datam a reo (3).

1757 — Est vera quando reus expresse contradicit petitioni actoris ; est ficta, quando per contumaciam rei, lis pro contestata habetur.

1758 — Ante contestationem litis, fieri non potest neque auditio testium, neque prolatio sententiæ, nisi extraordinarium motivum illud exigat (4).

1759 — Effectus contestationis litis hi sunt : 1º judex non potest amplius rejici ut incompetens vel suspectus ; — 2º ex parte actoris, actio fit perpetua et transit ad hæredes ; — 3º reus constituitur in mora et in mala fide ; — 4º uterque litigantium tenetur incœptum judicium prosequi nisi ex communi consensu, et mandatum procuratoris non exspirat per mortem alterutrius ex litigantibus.

(1) Cap. 3 tit. *de Ordine cognitionum* X, lib. II Decretal. — (2) Cap. 1 ejusd. tit. — (3) Tit. *De litis contestatione* V, lib. II Decretal. — (4) Tit. *Ut lite non contestata* etc. VI, lib. II Decretal.

1760 — Post litem contestatam, præstari potest, licet id non sit necessarium, juramentum generale quod in se comprehendit : 1° juramentum *calumniæ*, ad testandam remotionem fraudis ; — 2° juramentum *veritatis*, de veritate dicenda ; — 3° juramentum *malitiæ*, ad affirmandum se nihil malitiose acturum aut propositurum fore.

1761 — Juramentum istud remitti vel exigi potest ab actore. Si autem exigatur et reus recuset, ipse habetur pro confesso. — Non autem præstatur in causis criminalibus, propter periculum perjurii.

SECT. VII. — DE PROBATIONIBUS.

1762 — Probatio est facti alicujus dubii apud judicem, per legitima argumenta facta demonstratio (1).

1763 — Generatim, illius est probare qui affirmat.

1764 — Probatio est plena vel semi-plena. — Probatio plena illa est quæ tantam fidem facit, quæ sit satis ad definiendam controversiam. — Probatio semi-plena est illa quæ facit fidem aliquam, sed non sufficientem ad litem finiendam.

1765 — Probationis modi vulgo sex enumerantur, scilicet : confessio, ocularis inspectio, testes, instrumenta seu scripturæ, indicia seu præsumptiones et jusjurandum.

(1) « Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum ». (S. Aug. hom. 50 *de utilitate Pœnitentiæ* — can. 1, q. I. causa II 2ª parte Decreti.) « Sine judicio quemquam nolumus condemnari » (S. Gregorius, lib, V. ep. 50 — can. 3 ejusd. quæst.)

1766 — Confessio est probatio quæ **a** proprio ore rei provenit, vel melius, est : ejus quod ab adversario intenditur, in judicio vel extra illud, facta asseveratio.

1767 — Est discreta vel indiscreta, prout exprimit vel non causam obligationis; — est simplex vel qualificata, prout illi additur vel non aliqua limitatio, conditio aut excusatio; — est judicialis vel extrajudicialis, prout fit vel non, in judicio et coram judice competente. — Iterum confessio judicialis est expressa, vel tacita prout elicitur aut ex verbis aut ex facto v. g ex silentio, juxta axioma : Qui tacet consentire videtur (1).

1768 — Confessio discreta, probata per duos testes, facit plenam fidem. — Indiscreta, prolata coram adversario, semi-plene probat; nullo modo autem, si absens sit adversarius.

1769 — Confessio simplex facit plenam probaionem. — Confessio qualificata dividi potest ita ut probet in quibusdam, non vero in omnibus.

1770 — Confessio judicialis plene probat si fiat coram judice competente, ex certa scientia et libertate, et ab eo qui major est ætate.

1771 — Confessio extrajudicialis, si discreta sit, habet vim plenæ probationis, si fuerit scienter et sponte facta; secus nihil probat.

1772 — Confessio soli confitenti nocet, non tertio (2).

(1) Reg. juris XLIII, in VI. — Sed etiam dicitur in regula sequenti : « Is qui tacet non fatetur ; sed [illegible] ne negare videtur ». — (2) Cap. 1 tit. *de Confessis* XVIII. lib. II Decretal.

1773 — Altera probationis species est **ocularis inspectio**, quam juristæ vocant accessum, et quæ fieri potest vel a judice ipso, vel a cæteris personis peritis, ad id legitime deputatis.

1774 — **Testes** vocantur personæ fide dignæ, in judicium vocatæ, ut de re controversa veritas cognoscatur et sententia ferri queat (1).

1775 — Testes esse possunt illi omnes de quibus moraliter certum est quod dicturi sunt veritatem, quod habent notitiam facti et nolunt decipere. Testis, qui sine dubio possidet istas qualitates vocatur, testis omni exceptione major.

1776 — Testes generatim esse possunt qui a jure non prohibentur. Alii vero rejiciuntur absolute; alii autem pro certis personis; alii, contra certas personas; alii denique in quibusdam causis.

1777 — Contra episcopum, in causis criminalibus, non recipiuntur nisi contestes, et bonæ conversationis, existimationis et famæ (2).

1778 — Pro omnibus causis et absolute, rejiciuntur ut testes, illi qui laborant defectu ætatis, judicii aut probitatis morum, ut sunt infantes, furiosi, infames, meretrices, etc. (3), necnon et complices in eodem crimine (4).

1779 — Pro certis personis, testes esse non possunt parentes pro liberis vel liberi pro parentibus,

(1) Tit. *de Testibus* XX, lib. II Decretal. — (2) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 7 de Ref. - (3) Cap. 7 tit. *de Testibus* XX, lib. II Decretal. — (4) Cap. 10 ejusd. tit.

etiam consanguinei et domestici, saltem in criminalibus, exceptis tamen causis matrimonialibus (1).

1780 — Contra certas personas, testes esse nequeunt parentes contra liberos et filii contra parentes, exceptis etiam causis matrimonialibus, conjux adversus conjugem, inimici contra inimicos (2), advocati et procuratores contra clientes, judæi et pagani adversus christianos, et laici contra clericos, in causis criminalibus minoribus (3).

1781 — In quibusdam causis, testes esse nequeunt, minores et mulieres in causis criminalibus (4), clerici in causa sanguinis. Denique, nemo potest esse testis in propria causa.

1782 — Testimonium debet esse: 1° datum viva voce et non in scriptis; — 2° conforme articulo, id est relativum causæ ob quam vocantur estes; — 3° clarum et perspicuum; — 4° debet exprimere causam scientiæ. Nulla vero est receptio testium facta contra reum non citatum (5).

1783 — Testes productos ab actore et a reo examinare debet judex per se aut per delegatum, si personaliter comparere nequeant (6), quod fit per litteras remissorias seu rogatorias.

1784 — Testes jurare debent, tacto evangelio, se dicturos esse veritatem (7). Clerici autem juramentum proferunt, proprio tacto pectore.

(1) Cap. 3 tit. *Qui matrimonium accusare* etc. XVIII, lib. IV Decretal. — (2) Cap. 10 tit. *de Accusationibus* I, lib. V Decretal. — (3) Cap. 14 tit. *de Testibus* XX, lib. II Decretal. — (4) Cf. tamen cap. 3 tit. *de testibus* XX, lib. II Decretal. — (5) Cap. 2 ejusd. tit. XX. — (6) Cap. 8 ejusd. tit. — (7) Cap. 5, 18 et 51 ejusd. tit.

1785 — Testes cogi possunt pœnis temporalibus et spiritualibus ad deponendum, si recusent libenter comparere (1), præsertim si necessarii sint (2).

1786 — Ordinarie, duo saltem testes concordes et idonei plenam fidem faciunt, nisi plures jus postulet. Aliquando vero unus sufficit (3).

1787 — Plures vero testes, plus minusve discordes, semi-plenam vel nullam fidem faciunt. In hoc casu attendendum est non tantum ad multitudinem, sed ad qualitatem testium (4).

1788 — Probatio etiam fit per **instrumenta**, id est per scripturas, quæ sunt sive publicæ sive privatæ.

1789 — Publicum instrumentum illud est quod est confectum a persona publica, ut est notarius, et in legitima forma. Privatæ scripturæ illæ sunt quæ opus sunt personarum privatarum.

1790 — Scripturæ publicæ plenam fidem faciunt, dummodo sint : 1° genuinæ id est neque suppositæ, neque falsæ, neque interpolatæ ; — 2° legitimæ, id est juxta formam a lege præscriptam ; — 3° autographæ id est originales (5).

1791 — Scripturæ privatæ generatim non probant nisi contra scribentem.

1792 — **Præsumptio** est anticipata de re dubia

(1) Tit. *de Testibus cogendis vel non* XXI, lib. II, Decretal. — (2) Cap. 2 et 5 ejusd. tit.—(3) Cap. 23 tit. *de Testibus* XX, lib. II Decretal. — (4) Cap. 32 ejusd. tit. — (5) Cap. 1 et 2 tit.. *de Fide instrumentorum* XXII. lib. II Decretal.

opinio, desumpta ex argumentis, indiciis et conjecturis (1); sic v. g. dicitur: Semel malus, semper præsumitur esse malus (2).

1793 — Præsumptio dicitur juris et hominis.

1794 — Præsumptio juris seu legis procedit a lege, nec pendet ab arbitrio judicis.

1795 — Est præsumptio juris simpliciter, vel juris et de jure. — Præsumptio juris simpliciter illa est quæ vim habet plenæ probationis, nisi demonstretur contrarium. — Præsumptio juris et de jure illa est quæ ita a lege confirmatur ut neque admittat contrariam probationem.

1796 — Præsumptio hominis est conjectura judicis, quæ tamen ex facti qualitate vel circumstantiis non temerarie oritur.

1797 — Præsumptio hominis est levis, probabilis vel violenta, et facit vel nullam vel semi-plenam fidem, vel plene probat, non tamen in causis criminalibus, maxime vero in capitalibus. Nam propter præsumptionem etiam vehementem, non debet quis de gravi crimine condemnari (3).

1798 — Aliquando etiam terminantur lites per **jusjurandum**, quod defertur aut ex pactione partium litigantium, aut ex auctoritate judicis.

1799 — Dicitur voluntarium si una pars alteri illud deferat ante judicium; si vero deferatur post

(1) Tit. *de Præsumptionibus* XXIII, lib. II Decretal. — (2) Reg. juris VIII, in VI. — (3) Cap. 14 tit. *de Præsumptionibus* XXIII, lib. II Decretal.

judicium aut in judicio, judice approbante sed non cogente, dicitur judiciale.

1800 — Jusjurandum delatum a judice vocatur necessarium. Est suppletorium quando supplet defectui probationum, vel decisorium quando per illud liti principali affertur decisio et terminus imponitur.

Sect. VIII. — De causis criminalibus.

1801 — Criminales causæ institu untur per accusationem, per denuntiationem et per inquisitionem (1).

1802 — **Accusatio** est alicujus criminis ad competentem judicem solemniter facta delatio.

1803 — **Denuntiatio est** manifestatio criminis facta superiori. Est evangelica, canonica aut judicialis.

1804 — Evangelica est quando crimen manifestatur superiori tanquam patri, ut ipse non puniat sed moneat delinquentem. — Canonica est quando est per canones præscripta. — Judicialis vero quando fit judici, ut reus puniatur.

1805 — Denuntiandi sunt: 1º hæretici; — 2º confessarii ad turpia sollicitantes; — 3º religiosi votorum solemnium matrimonium attentantes; — 4º laici, missam celebrare et confessionem audire fingentes; — 5º nefarii homines, utentes sacramentis ad pra-

(1) Cap. 24 tit. *de Accusationibus* etc I, lib. V, Decretal. — De præscriptione delictorum, cfr. epist. card. præf. S. Cong. Ep. et Reg., 22 martii 1898.

vos fines, et cum dæmone pactum ineuntes; — 6º nomen dantes societatibus secretis, ut v. g, sectis *massonicis*, etc. (1)

1806 — Illi qui recusant denuntiare intra annum confessarios sollicitantes subjiciuntur excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ (2) et pœnæ ferendæ sententiæ inhabilitatis perpetuæ ad missam celebrandam (3).

1807 — Denuntiatio sub gravi fieri debet, nisi certo cognoscatur illam fore penitus inutilem. Nemo autem tenetur denuntiare seipsum.

1808 — Hac de re tamen, sicut et in cæteris causis, pro regula tenendum est quod jura omnia vetant ne ad criminis punitionem deveniatur nisi prius per probationes a lege præscriptas constet de delicti perpetratione.

1809 — Istæ probationes haberi debent vel ex rei confessione, vel ex attestatione duorum saltem testium probatæ fidei qui una simul testentur nitide et absolute, vel duorum testium, si singulares sint (4).

1810 — **Inquisitio** est alicujus criminis a judice facta investigatio, ut delictum detegatur et ut in reos animadvertatur.

1811 — Ordo judiciarius a lege prævisus potest non observari circa regulares personas quæ (cum

(1) Resp. Cong. S. Officii, 19 april. 1893. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis*, § IV nº 4. — (3) Const. Benedicti XIV, *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 jun. 1741 — (4) Cong. de Propag. fide, 1 jun. 1775.

causa requirit) facilius et liberius **a suis possunt** administrationibus removeri (1).

CAPUT III.

De Modo quo terminantur lites.

SECT. I. — DE CONCLUSIONE IN CAUSA.

1812 — Facienda est **conclusio in causa,** quando litigantes renuntiant ulterioribus probationibus evulgandis et submittunt controversiam decisioni judicis.

1813 — Aliquando judicis est terminum præfinire, eoque elapso, causam ex officio concludere.

1814 — Conclusioni in causa effectus est ut novæ probationes amplius non admittantur, nisi agatur de causis ubi est periculum peccati, vel nisi aliquid inopinatum producatur.

SECT. II. — DE SENTENTIA.

1815 — **Sententia** est controversiæ propositæ facta a judice definitio.

1816 — Sententia est definitiva vel interlocutoria.

1817 — Sententia definitiva finem liti imponit. Est absolutoria, condemnatoria vel declaratoria.

(1) Cap.24 *tit. de Accusationibus* I, lib. V Decretal.

1818 — Per sententiam declaratoriam pœna non infligitur: sed declaratur tantum accusatum esse criminis reum et subjacere pœnæ latæ sententiæ. Effectus igitur sententiæ retrotrahuntur ad tempus delicti commissi.

1819 — Sententia interlocutoria est decisio judicis qua causa præparatur aut promovetur, sed non terminatur.

1820 — Sententia definitiva differt ab interlocutoria ratione firmitatis, — ratione facultatis appellandi, — ex effectu et ex forma.

1821 — Omnis sententia ferri debet: — utraque parte præsenti; — in scriptis (1) et in die non feriato (2). — Insuper sententia, præsertim definitiva debet esse: generalis, — certa, — consentanea libello, — et conformis juri.

1822 — Quando sententia lata fuit et proclamata, si infra decem dies, ab ea non fuerit appellatum, transit in auctoritatem rei judicatæ. — Quædam vero causæ, ut. v. g. matrimoniales, nunquam transeunt in rem judicatam.

1823 — Sententia quæ facta est res judicata debet executioni mandari, scilicet perduci ad exitum suum, etiam modis coactivis. Hoc fieri debet per judicem ordinarium, non vero per arbitrum aut per judicem delegatum.

(1) Can. 8, q. I causæ II, 2ª parte Decreti. — (2) Tit. *de Feriis* IX, lib. II Decretal.

Sect. III. — De appellationibus.

1824 — **Appellatio** est ab inferiore judice ad superiorem facta provocatio ut sententia lata corrigatur vel revocetur (1).

1825 — Novi et veteres testes produci possunt in appellatione, sed super novis duntaxat capitulis (2).

1826 — Appellatio est extrajudicialis vel judicialis. — Extrajudicialis illa est quæ emittitur contra actum jurisdictionis elicitum extra judicium. Vocatur potius *recursus*.

1827 — Appellatio judicialis illa est quæ interponitur adversus actus judiciales, id est contra sententiam definitivam vel interlocutoriam.

1828 — In omnibus causis licet appellare, sed **effectus** appellationis aliquando est suspensivus, aliquando vero devolutivus.

1829 — Appellatio de exceptione suspendit judicium etiam de causa principali, si eadem non possit sine illa terminari. Si autem adversa pars de falsi suggestione in appellatione prorupit, non est sententia super hoc differenda (3); sicut appellationi ita recusationi non semper est deferendum (4).

(1) Cfr. Decretum S. Cong. Episc. et Regul. de mandato Clementis VIII, . . . 1600. — (2) Cap. 17 tit. *de Testibus* XX, lib. II Decretal. — (3) Cap. 10 tit. *de Appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. — (4) Cap. 12 ejusd. tit.

1830 — Plures sunt casus in quibus appellatio effectum suspensivum non producit, et enumerantur in const. Benedicti XIV *Ad militantis*, 30 mart. 1742.

1831 — Appellare **possunt**, non tantum illi contra quos lata est sententia, sed omnes quorum interest. Unius appellatio omnibus prodest (1). — Appellationi autem frivolæ non est deferendum (2).

1832 — Frustra vero appellant illi qui expresse vel tacite appellationi renuntiarunt, vel sententiam approbaverunt, illi qui triplici sententia conformi fuerunt condemnati, et illi qui vere contumaces sunt.

1833 — A sententia episcopi vel ipsius in spiritualibus vicarii, in criminalibus appellatio committi debet metropolitano, non autem a sententia officialis ad episcopum ejusdem (3). Si metropolitanus sit suspectus, vel nimis distans, vel si de illo foret appellandum, causa deferenda est uni ex vicinioribus episcopis (4).

1834 — Si delegatus a Papa subdelegaverit in totum, appellari non potest a subdelegato ad delegatum; secus vero, si delegatio data fuerit tantum in partem (5).

1835 — Non potest appellari a sententia interlocutoria episcopi, in causis visitationis et correctio-

(1) Cap. 72 tit. *de Appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. — (2) Cap. 5 ejusd. tit. XV, lib. II in VI. — (3) Cap 2 tit *de Consuetudine* IV, lib. I in VI. — (4) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 2 de Ref. — (5) Cap. 27 tit. *de Off. judicis delegati* XXIX, lib. I Decretal.

nis, sive habilitatis et inhabilitatis, necnon in criminalibus (1).

1836 — Appellatio proponenda est intra **dies fatales**. Sunt autem hujusmodi tempora quatuor : primum, ad appellandum ; — secundum, ad petendos libellos dimissorios ; — tertium, ad introducendam appellationem ; — quartum, ad eam prosequendam et finiendam.

1837 — Libelli dimissorii sunt litteræ directæ a judice inferiore ad judicem superiorem, ut testimonium detur de interposita appellatione, et dicuntur etiam *Apostoli* (2).

1838 — Is a quo appellatum fuerit, infra triginta dies, acta ipsa postulanti gratis exhibeat ; alioquin absque illis, causa appellationis hujusmodi, prout justitia suaserit, terminetur (3).

1839 — Primum temporis spatium est decem dierum a die sententiæ latæ vel cognitæ ; secundum spatium est triginta dierum a die etiam sententiæ latæ vel cognitæ (4) ; — tertium relinquitur determinandum arbitrio judicis ad quem ; — quartum vero est unius anni et protrahi potest ad duos annos, ob justam causam (5).

1840 — Si appellans infra terminum statutum a

(1) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 1 de Ref. — (2) Can. 24 et 31 quæst. 6 causæ II, 2ª parte Decreti. — (3) Conc. Trid. sess. XIII, cap. 3 de Ref. — (4) Cap. 5 tit. *de Appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. et eod. cap. 5 tit. XV, in VI. — (5) Cap. 15 tit. *de Sententia et re judicata* XXVII, lib. II Decretal.

judice a quo vel a seipso, appellationem non prosequatur, sententiæ vel judicio præcedenti stare compellitur. Censetur enim appellationi suæ renuntiasse et acceptare primum judicium (1). Imo tenetur ad recompensationem expensarum erga partem adversam (2).

1841 — Appellationes fieri debent gradatim, scilicet ad judicem proximiorem (3). Sed appellatio ad Sanctam Sedem fieri potest semper, etiam spreta jurisdictione intermedia.

1842 — Appellatio fieri potest etiam ante sententiam ; sed appellans debet exprimere rationabilem causam coram judice a quo ; et si deinde constiterit illum minus rationabiliter appellavisse, condemnandus est in expensis erga alteram partem (4).

1843 — Illis quibus præsto non est remedium appellationis, remanet extraordinarium remedium quod dicitur : *restitutio in integrum* (5).

1844 — Hæc est actus jurisdictionis supremæ, quo omnia reponuntur in statum pristinum (6) in quo erant ante judicium, et unicuique jura sua restituuntur. — Eam petere potest judex qui priorem sententiam pronuntiavit (7).

1845 — Hæc restitutio in integrum non temerarie sed certis tantum personis concedi debet, et

(1) Cap. 4 et cap. 33 tit. *de Appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. — (2) Cap. 26 ejusd. tit. — (3) Cap. 66 ejusd. tit. — (4) Cap. 59 tit *de Appellationibus*. — (5) Tit. XLI lib. I Decretal. — (6) Cap. 4 ejusd. tit. — (7) Cap. 9 ejusd. tit.

etiam quædam speciales ad hoc requiruntur conditiones in jure determinatæ.

1846 — Favor iste conceditur præsertim minoribus, necnon et ecclesiis, etiam contra sententiam Papæ, « cum Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari. » (1)

1847 — Requiritur tamen ut novæ probationes possint coram judice afferri (2). — Causa restitutionis in integrum tractari potest et finiri a judicibus ordinariis, non autem a delegatis aut ab arbitris (3).

1848 — « **Ei cui** ascensus ad sacros ordines a suo prælato, ex quacumque causa etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus, gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo aut ad priores ordines gradus et dignitates, sive honores, restitutio suffragetur (4).»

1849 — In hoc, non datur appellatio, sed **recursus** tantum ad Summum Pontificem (5). Durante autem recursu, observari debet suspensio, sub pœna irregularitatis incurrendæ (6), nec obliga-

(1) Cap, 1, 3 et ejusd. tit. — (2) Cap. 10 ejusd. tit. — (3) Cap. 9 ejusd. tit. — (4) Conc. Trid. sess. XIV, cap. 1 de Ref. — Cf. S. Cong. Concilii, 24 nov. 1657 et 20 aug. 1735; Instructio S. de Cong. de Prop. fide, ad episcopos missionum, 20 oct. 1884. — (5) S. Cong. Concilii, 21 april. 1668, 8 maii 1848. — (6) S. Cong. Concilii, 8 maii 1848.

tur episcopus ad manifestanda clerico motiva pœnæ inflictæ (1).

1850 — Illa potestas episcopi sic agendi *ex informata conscientia* illi concessa est tantum in casu quo crimen est occultum, minime autem si crimen sit publicum, et probari queat in foro externo. — Pluries, in hoc ultimo casu, suspensionis decretum fuit declaratum irritum et inane. (2) — Imo sic ferri posse non videtur nisi suspensio temporanea, non autem perpetua (3).

1851 — Occultum dicitur illud crimen quod: 1° probari et condemnari non potest in foro externo; 2° illud quod demonstrari nequit sine fidelium scandalo et majori ipsius clerici delinquentis detrimento.

CAPUT IV.

De Methodo œconomice procedendi in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.

1852 — Per decretum diei 11 junii 1880, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, appro-

(1) S. Cong. Concilii, 21 mart. 1743. — (2) Ita S. Cong. Concilii, in causa S. Severini 19 sept. 1778, S. Agathæ Gothorum 26 febr. et 28 maii 1853, Ugentina, 6 aug. 1884; 11 sept. 1880. — (3) S. Cong. Concilii, 19 sept. 1778; 26 febr. 1848.

bante et confirmante SS^mo D. D. N. Leone XIII, facultatem concessit Ordinariis locorum, in Italicis regionibus, ut formas magis œconomicas adhibeant in exercitio suæ jurisdictionis disciplinaris erga clericos.

1853 — Per decretum diei 14æ januarii 1882 ejusdem Sacræ Congregationis, SSus D. D. N. Leo XIII benigne indulsit ut Galliarum Ordinarii, in suis ecclesiasticis curiis eadem judiciali methodo uti valeant (1).

1854 — Ista methodus exponitur a S. Congregatione in XLIV articulis. (2) Eadem uti queunt pro suo libitu, episcopi et Ordinarii, attentis temporum difficultatibus. Agere vero possunt juxta dispositiones veterum legum, si ipsi id bonum judicaverint.

(1) Vide ad Calcem. — (2) Cf. etiam hac de re Instructio S. Cong. de Prop. fide, de modo servando ab episcopis Fœderatorum Septentrionalis Americæ Statuum, in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, 20 jun. 1878, necnon et dispositio provisoria pro Actis appellationis : S. Cong. Ep. et Reg., 26 martii 1886.

LIBER SECUNDUS
DE PŒNIS

CAPUT I
De Pœnis et de Censuris Generatim.

1855 — **Pœna** definitur vindicta criminis ad disciplinæ publicæ emendationem inducta. Applicatur etiam invitis. In hoc differt a pœnitentia quæ infligitur volentibus et a censura qua plectuntur tantum contumaces.

1856 — Puniri non potest nisi delictum publicum (1), consummatum in genere suo et probatum.

1857 — Ecclesia jus habet puniendi, seu possidet potestatem coërcitivam, et quidem jure proprio, non autem per delegationem politicæ potestatis (2).

1858 — Ecclesia infligere potest pœnas tum corporales tum spirituales, tam vindicativas quam medicinales. Juxta quosdam doctores, jus non haberet inferendi pœnas severiores quibus effunditur san-

(1) Cogitationis pœnam nemo patitur. can. 14 dist. I *de Pœnit*, 2ª parte Decreti. — (2) Bulla Pii VI *Auctorem fidei* n. 5 — Syllabus, prop. 24.

guis humanus, per occisionem vel mutilationem delinquentis.

1859 — Generale principium in applicanda pœna est ut non noceatur bono publico, neque puniendo neque parcendo. Abstinendum est igitur et a nimia severitate et a nimia indulgentia.

1860 — Pœnæ statuendæ a judicibus, sunt vel juridicæ, id est determinatæ a jure, vel arbitrariæ id est determinandæ, juxta species et circumstantias, ex voluntate judicis.

1861 — Iste tamen, in electione pœnæ, debet judicare ad tramites juris, sedulo curare ne excessum committat et sese conformare regulis juris et praxi jurisprudentiæ canonicæ.

1862 — Pœnæ corporales seu vindicativæ illæ sunt quæ potius infliguntur non in correctionem delinquentis, sed in ultionem delicti et ad terrorem cæterorum.

1863 — Pœnæ vindicativæ ecclesiasticæ possunt esse vel temporales vel spirituales.

1864 — Priores possunt esse: mulcta pecuniaria, incarceratio aut exilium. — Posteriores sunt privatio beneficii, depositio, degradatio, infamia et irregularitas.

1865 — Pœnæ spirituales seu medicinales attendunt potius ad correctionem delinquentis et ideo infligi non debent nisi usquedum reus resipiscat. Vocantur etiam *Censuræ*.

1866 — Censura definitur: Pœna ecclesiastica

medicinalis et spiritualis, qua homo baptizatus, graviter delinquens et contumax, usu quorumdam bonorum spiritualium, vel totaliter vel partim privatur, donec recedat a contumacia.

1867 — Censuræ dividuntur in excommunicationes, suspensiones et interdicta. — Confundi non debent cum cessatione a divinis, depositione, degradatione, vel irregularitate. Violatio tamen censuræ legitime latæ, inducit irregularitatem ex delicto (1).

1868 — Censura est reservata vel non reservata prout omnes sacerdotes aut judices ecclesiastici ab illa absolvere possunt vel non.

1869 — Instante mortis periculo, cessat omnis reservatio; sed cessante periculo, aut alias cætero impedimento, censura reviviscit, si ille qui fuerit sic absolutus, recuset sese præsentare illi a quo absolutionem recipere debebat (2).

1870 — Censuræ sunt *a jure* vel *ab homine*, prout feruntur a legislatore per edictum perpetuum, vel a judice per sententiam, per mandatum aut per præceptum particulare.

1871 — Censura lata *ab homine* censetur semper reservata auctori ejusdem aut superiori aut delegato illius. Exstinguitur autem cum jurisdictione illius qui eam inflixit. Censura *a jure* est perpetua, sed non præsumitur reservata.

1872 — Censuræ sunt *latæ sententiæ* vel *ferendæ*

(1) Cap. 6, 7 et 9 tit. *de Clerico excom.* XXVII, lib. V Decretal.—(2) Cap. 22 tit. *de Sententia Excommunicat.* XI, lib. V Decretal. in VI.

sententiæ, prout incurruntur ex admissione ipsius criminis, ita ut locus non sit nisi sententiæ declaratoriæ, vel prout tantum infliguntur per sententiam condemnatoriam judicis.

1873 — Censuram esse *latæ sententiæ* ostendunt verba adhibita in lege v. g. si feratur ipso facto, eo ipso; et si usus fiat temporis præsentis vel præteriti, aut si prolata fuerit modo imperativo, v. g. sit excommunicatus etc.

1874 — Censuram esse *ferendæ sententiæ* declaratur ex verbis quæ expostulant opem alterius; quæ sunt tantum comminatoria; aut exprimunt tempus futurum ut v. g. excommunicabitur etc.

1875 — In dubio, censura præsumitur esse ferendæ sententiæ quia « in pœnis benignior est interpretatio facienda. »

1876 — Si agatur de censura ferendæ sententiæ aut quæ sit ab homine, antequam censura feratur, necessario fieri debent tres monitiones. Si autem una fiat pro tribus, plurium dierum intervalla deinde observanda sunt; debent fieri nominatim et saltem una, sub pœna nullitatis (1).

1877 — Excipiunt doctores casum quo non solum crimen sed et contumacia delinquentis est omnino notoria, et ideo sufficienter probata (2).

1878 — Si agatur de censuris inflictis, appella-

(1) Cap. 9 tit. *de Sententia Excommunicationis* XI, lib. V, in VI et cap. 26 tit. *de Appellationibus* XXVIII; lib. II Decretal. — (2) Cap. 9 et 23 tit. *de Electione* VI, lib. I Decretal.

tio interposita non habet **effectum** suspensivum, sed sententia observari debet, usquedum irritetur a judice ad quem fuit appellatum (1). Appellans vero potest ad cautelam absolvi, pendente cognitione appellationis (2).

1879 — De sententia autem infligente censuram appellatio suspensivum producit effectum si sententia lata fuerit sub conditione, et si ante conditionis eventum facta fuerit appellatio (3).

1880 — Excusat a censura ignorantia, modo non sit crassa, aut affectata, et etiam metus gravis, nisi agatur de casu in quo violatio censuræ cederet in contemptum fidei aut in dedecus Ecclesiæ.

1881 — In foro interno, excusat persuasio propriæ innocentiæ; in foro autem externo, si crimen constet juridicis **probationibus** et judicio legitimo licet erroneo, ad **scandalum** vitandum, fidelis tenetur ad censuram observandam et debet sese gerere tanquam a censura ligatum.

1882 — Censuram **ferre possunt** Papa et concilium generale pro tota Ecclesia, sicut et Congregationes Romanæ in negotiis sibi commissis, necnon et episcopus in sua diœcesi et ejus officialis (4).

1883 — Hoc jure potiuntur etiam capitulum et vicarius capitularis sede vacante et omnes præ-

(1) Cap. 13, 14, 15 et 37 tit. *de appellationibus* XXVIII, lib. II Decretal. — (2) Cap. 16 ejusd. tit. — (3) Cap. 40 ejusd. tit. — (4) Conc. Trid. sess. VI, cap. 3 de Ref. — cap. 7 tit *de sententia excommunicationis* XI, lib. V Decretal. in VI cap. 1 et 16 tit. *de officio judicis ordinarii* XXXI, lib. I Decretal.

lati regulares aut sæculares jurisdictionem habentes in foro externo, necnon et legati Sanctæ Sedis (1) et capitularia Regularium in suos subditos (2), non autem parochi, neque abbatissæ, neque judices sæculares.

1884 — In quibusdam casibus tantum, episcopus degens extra suam diœcesim, potest ferre censuras.

1885 — Censuræ **ferri non possunt** nisi contra fideles, baptizatos, ratione pollentes et subditos illius qui infligit pœnam.

1886 — Episcopi non incurrunt suspensionem aut interdictum, nisi de eis mentio fiat specialis in sententia pontificia. Id vero non verificatur pro excommunicatione (3).

1887 — Imperatores, reges et principes supremi censurari nequeunt ab episcopis, neque etiam ab iisdem communitates et collegia excommunicari possunt (4).

1888 — Ut censura ferri possit, requiritur ut adsit culpa gravis (5), exterior (6), et consummata in genere suo. Requiritur etiam ut pœna sit proportionata culpæ; — ut vergat in fidelium emendationem; — et ut reus sit contumax.

1889 — Monet sapientissime Concilium Triden-

(1) Cap. 7 tit. *de Officio legati* XXX, lib. I Decretal., et cap. 2 ejusd. tit. XV in VI. — (2) Cap. 10, tit. *de Majoritate* XXXIII, lib. I Decretal; cap. ult. tit. *De Statu Monachorum* XXXV, lib. III, Decretal.; cap. 33 tit. *De Simonia* III, lib. V Decretal. — (3) Cap. 4 tit. *De sententia Excom.* XI, lib. V in VI. — (4) Cap. 5 ejusd. tit. — (5) Reg. Juris XXIII in VI. — (6) Cap. 33 tit. *De Simonia* III. lib. V Decretal.

tinum gladium censurarum et præsertim excommunicationis non esse nisi sobrie et cum magna circumspectione exercendum (1).

1890 — Licet censuræ sint pœnæ medicinales, tamen statim non **cessant** ex correctione rei, sed necessario dari debet absolutio : hæc correctio est tantum motivum legitimum ad dandam absolutionem.

1891 — Hæc absolutio dari debet et in foro interno, scilicet a peccato et a censura occulta; — et in foro externo, a censura notoria et publica.

1892 — In foro interno, absolutio datur a confessario ad hoc jurisdictionem habente, et ab omni presbytero, in periculo mortis. Quod si tamen infirmus convaluerit, tenetur superiorem adire, non quidem ad absolutionem recipiendam, sed ad obedientiam præstandam.

1893 — In foro externo, absolutio datur a prælato pollente potestate judiciaria. Dari potest etiam post mortem censurati, ut ipsi queat ecclesiastica sepultura impertiri.

1894 — Absolvere valet a censura ille qui sententiam tulit, vel ejus delegatus, vel ejus Superior, v. g. Papa relate ad episcopum, non autem metropolitanus, relate ad suffraganeum nisi in causa appellationis.

1895 — Potestas absolvendi a censuris Papæ re-

(1) Sess. XXV, cap. 3 de Ref.

servatis pro foro interno postulatur a Sacra Pœnitentiaria; pro foro vero externo a S. Congregatione Concilii vel Episcoporum et Regularium.

1896 — Quando pœnitens versatur in impossibilitate adeundi Sanctam Sedem, recurrendum est per litteras ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium nisi agatur de casibus urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ, et sub pœna reincidentiæ nisi saltem infra mensem, per epistolam et per medium confessarii, absolutus recurrat ad Sanctam Sedem (1).

CAPUT II

De Excommunicatione.

1897 — **Excommunicatio** est censura ecclesiastica qua homo christianus a communione seu a corpore fidelium excluditur, ac bonis quæ ipsi inter se communicant, privatur. — Eumdem sensum habet vox: *anathema*.

1898 — Excommunicatio dicitur major vel minor. — Excommunicatio autem minor nunc est suppressa (2).

1899 — Effectus excommunicationis minoris erat

(1) Cong. S. Officii, 23 jun. 1886. Approbavit S. Pontifex die 30 jun. 1886; Resp. ejusd. Cong., 17 jun. et 19 aug. 1891, 16 junii 1896 et 9 nov. 1898. — (2) Cong. S. Officii, 10 oct. 1883.

privatio usus passivi seu receptionis sacramentorum et vocis passivæ in electionibus. — Auferebat jurisdictionem tam fori interni quam fori externi. — Præsertim incurrebatur per communicationem prohibitam cum excommunicato majore vitando.

1900 — Excommunicatio major excommunicatum privat suffragiis communibus et merito bonorum operum et precum quæ fiunt in Ecclesia; — jure conferendi sacramenta et missam celebrandi; — jure assistendi officiis divinis et sacrificio missæ; — sepultura ecclesiastica; — habilitate ad dignitates, officia et beneficia acquirenda (1), et fructibus beneficii jam adepti; — jurisdictione spirituali in utroque foro; — voce activa et passiva in electionibus; — jure recipiendi rescripta Sanctæ Sedis et agendi coram tribunalibus ecclesiasticis; — denique communicatione in civilibus et in politicis cum cæteris christianis.

1901 — Excommunicatus autem potest in judicio excipere, appellare et omnem defensionem facere, non autem reconvenire (2).

1902 — Relate ad cæteros fideles, excommunicatio eis imponit obligationem vitandi excommunicatos in casibus a jure determinatis.

1903 — Per constitutionem Martini V *Ad vitanda scandala*, instituta est **distinctio** inter excommuni-

(1) Cap. 7 tit. *De Clerico excommunicato* XXVII, lib. V Decretal. — (2) Cap. 5 tit. *De Exceptionibus* XXV. lib. II Decretal.

catos *vitandos* seu *non toleratos,* et *non vitandos* seu *toleratos*.

1904 — Excommunicati vitandi non sunt nisi: « sententia, prohibitio, suspensio vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, collegium, universitatem, ecclesiam aut locum certum aut certam, a judice publicata vel denuntiata specialiter et expresse. » Nihil est innovatum tamen relate ad illos qui excommunicati sunt ex eo quod in clericos sacrilegas manus injecerint (1).

1905 — Notandum est dispositionem Martini V non esse in favorem excommunicatorum, sed illorum qui censurati non sunt et quorum sic restringuntur obligationes relate ad excommunicatos.

1906 — Prohibitiones communicandi cum excommunicatis vitandis, sic exprimuntur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur (2).

1907 — Casus in quibus licet communicare cum excommunicatis etiam vitandis, sic exprimuntur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1908 — Communicatio in *crimine criminoso,* scilicet cooperatio facinori unde consequitur excommunicatio, generatim non inducit eo ipso excommunicationem, sed constituit peccatum.

1909 — Ex communicatione cum excommunicato vitando, præsertim in divinis, olim incurrebatur excommunicatio minor. Nunc autem sic committitur

(1) Cong. S. Officii, 9 jan. 1884 et 2 aug. 1893. — (2) Cf. can. 24 et seqq. q. 3, causæ XI, 2ª parte Decreti.

peccatum plus minusve grave ; nam in hoc admitti potest levitas materiæ.

1910 — Subjacent autem excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ « communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem; et clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsas in officiis recipientes (1). non autem excommunicatis à congregationibus Romanis (2).

CAPUT III

De Suspensione.

1911 — **Suspensio** definitur : Censura ecclesiastica qua prohibetur minister Ecclesiæ ab aliquo actu ecclesiastico, alias sibi competente.

1912 — Distinguitur suspensio a cæteris censuris in eo quod solis clericis infligi potest. Differt etiam a degradatione vel a depositione, quæ sunt pœnæ vindicativæ, dum ipsa est censura et ideo pœna medicinalis. — Aliquando tamen infligi potest per modum pœnæ proprie dictæ.

1913 — Distinguitur etiam ab aliis censuris quia non privat jure assistendi officiis sacris, neque se-

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, § II n. 16 et 17. — (2) Resp. S. Officii, 16 junii 1897.

pultura ecclesiastica neque cæteris bonis spiritualibus.

1914 — Suspensio est ab officio vel a beneficio, et etiam partialis vel totalis. Sicut cæteræ censuræ, potest esse a jure vel ab homine, latæ vel ferendæ sententiæ, reservata aut non reservata.

1915 — Suspensio ab officio prohibet exercitium actuum ordinis jurisdictionis et administrationis ecclesiasticæ, si sit completa vel totalis.

1916 — Suspensio ab exercitio actuum ordinis vocatur etiam suspensio a divinis vel ab ordine. — Potest esse partialis et tunc dicitur a pontificalibus, a sacerdotalibus etc.

1917 — Suspensio totalis a beneficio duo complectitur, nempe prohibitionem administrandi beneficium et privationem fructuum ejus.

1918 — Extensio suspensionis debet intelligi juxta interpretationem strictam, quia est res pœnalis et ideo odiosa : ideo totalis esse non censetur, nisi id expresse dicatur.

1919 — Clericus suspensus et non toleratus vitari debet in divinis. Si autem non fuerit denuntiatus, licet communicare cum illo.

1920 — « Suspensionem ab ordine suscepto illi incurrunt qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis

sic suscepti, donec dispensetur, declaramus » (1).

1921 — Clericus agens contra suspensionem inflictam peccat mortaliter et incurrit irregularitatem. Appellatio interposita post sententiam habet effectum devolutivum et non suspensivum. Ideo sententia a qua fit appellatio, observari debet usquedum irritetur a judice ad quem appellatur.

CAPUT IV

De Interdicto.

1922 — **Interdictum** est censura ecclesiastica, privans usu omnium officiorum divinorum, quorumdam sacramentorum et sepultura ecclesiastica.

1923 — Est aliquid analogum excommunicationi. Ab ea tantum differt quia non privat communione et participatione bonis spiritualibus Ecclesiæ.

1924 — Confundi non debet cum cessatione a divinis, quæ sæpe non est pœna.

1925 — Interdictum est personale, locale aut mixtum. Item est generale vel partiale. Interdictum personale afficit directe personas et eas ubique sequitur.

1926 — Interdictum locale afficit directe terri-

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, § V n. 6.

torium et indirecte personas quæ in eodem commorantur. Mixtum directe dirigitur ad utrumque (1).

1927 — Interdictum generale privat usu quorumdam sacramentorum. Non prohibet Baptisma, Confirmationem, Pœnitentiam et Eucharistiam.

1928 — Eucharistiam vero administrare non licet nisi infirmis. Ideo, semel in hebdomada, licita est celebratio missæ, ut conficiatur corpus Christi quod decedentibus in pœnitentia non denegatur (2). Cætera tria sacramenta dari possunt omnibus, non autem a ministro personaliter et nominatim interdicto.

1929 — Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium prohibentur sub pœna illiceitatis non autem nullitatis.

1930 — Etiam prohibetur celebratio divinorum officiorum, id est omnis functionis seu cæremoniæ sacræ, publice peractæ et nomine Ecclesiæ.

1931 — Per bullam *Alma mater,* Bonifacius VIII rigorem veteris disciplinæ quadamtenus temperavit, ita ut liceat deinde celebrare officia, sed januis clausis, silentibus campanis et exclusis personis nominatim excommunicatis et interdictis. Item, ex eadem constitutione, licet divina officia celebrare diebus festis Natalis, Paschatis, Pentecostes et Assumptionis B. M. V. (3) – Hisce diebus addiderunt festos dies Corporis Christi et Immacu-

(1) Cap. 16 et 17 tit. *De Sententia excommunic.* XI, lib. V in VI. — (2) Cap. 57 eod. tit. XXXIX, lib. V Decretal. — (3) Cap. 24 tit. *De Sententia excommunic.* XI, lib. V in VI.

lati Conceptus B. M. V. Pontifices **Martinus V et** Leo X.

1932 — Durante interdicto locali, non licet sepelire mortuos in terram sanctam, neque celebrare officia funeralia super mortuos, etiam pie defunctos. Prohibitio extenditur etiam ad pueros, non autem ad regulares utriusque sexus.

1933 — Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab ordinario vel delegato judice vel a jure interdictis ; aut nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (1).

CAPUT V

De Censuris latis a Romano Pontifice seu de Constitutione Apostolicæ Sedis. (2)

1934 — Per constitutionem. **Apostolicæ Sedis** datam die iv Idus octobris 1869, S. Pontifex Pius IX sanxit ut in Ecclesia robur exinde non habeant aliæ excommunicationes, suspensiones vel inter

(1) Const. *Apostolicæ Sedis,* § VI n. 2. — (2) Vide ad calcem.

dicta, nisi ea quæ inseruntur in eadem constitutione.

1935 — Illarum autem censurarum permanet vigor quem habebant in pristina earum editione. Illis addendæ sunt censuræ specialiter latæ a Concilio Tridentino, et illæ quæ deinde statutæ sunt a Romano Pontifice, ut. v. g. a Pio IX per const. *Romanus Pontifex,* diei 3 sept. 1873.

1936 — Inter censuras expressas in hac constitutione, aliæ sunt speciali modo Romano Pontifici reservatæ; aliæ simpliciter eidem reservatæ; aliæ episcopis reservatæ: aliæ demum nemini reservatæ. De his contentis in duplici priori serie, nemo absolvere potest nisi Romanus Pontifex aut ab ipso delegatus; et de his quæ speciali modo reservantur non sufficit concessio generalis, sed requiritur specialis facta potestas. (1).

1937 — Videntur etiam abrogatæ illæ censuræ quas non tulit sed renovavit Concilium Tridentinum.

(1) Cfr. Cap. 6 sess. XXIV de Ref., Conc. Trid.; Cong. S. Officii 27 junii. 1886 et 16 junii 1897; S. Pœnit., 5 maii 1896.

LIBER TERTIUS

DE DELICTIS ET DE CRIMINIBUS

CAPUT I

De Delictis in genere.

1938 — Delictum seu crimen est libera ac voluntaria divini aut humani juris violatio, quæ in detrimentum Ecclesiæ vel societatis civilis redundat.

1939 — Crimina sunt *ecclesiastica* si fidem aut religionem directe lædant et ab Ecclesia privato jure sint punienda; — *civilia,* si offendant reipublicæ bonum; — vel *communia* prout utrique societati nocent.

1940 — Delicta ecclesiastica punienda sunt ab ecclesiastico judice tantum, sive committantur a clericis sive a laicis.

1941 — De civilibus autem et de communibus, judicare debet laicos judex civilis, clericos autem judex ecclesiasticus, ratione privilegii fori.

CAPUT II

De delictis in specie.

SECT. I. — DE APOSTASIA.

1942 — Apostasia est defectio seu retrocessio a Deo (1), id est : recessus reprehensibilis a statu meliori quem quis libere et perpetuo amplexus fuerat. — Inde triplex apostasia : prima dicitur, *perfidiæ ;* altera, *ordinis ;* tertia, *monachatus* (2).

1943 — Apostasia perfidiæ illa est per quam baptizatus a fide catholica omnino deficit. Probabilius, apostata dici debet ille qui christianam fidem deseruit, etiamsi nullam aliam falsam religionem fuerit professus.

1944 — Cum majore indulgentia tractandi sunt illi qui vi aut metu tormentorum, fidei renuntiarunt. Isti dicendi sunt potius lapsi quam apostatæ.

1945 — Apostasia semper reputata est crimen maximum, ipsa hæresi ingentius, siquidem est desertio totius fidei.

1946 — Ex constitutione *Apostolicæ Sedis,* apostatæ, eisque credentes, eorum receptores, fautores et generaliter quilibet illorum defensores subjiciuntur excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Pontifici reservatæ (3).

(1) S. Thomas, 2ª 2æ q. 12 art. 1. — (2) Cf. Bened. XIV, *De Synodo* lib. XIII, cap. 11, n. 9. — (3) Const. *Apostolicæ Sedis,* § I n. 1.

1947 — Sancitum fuit apostatas ad pœnitentiam redeuntes « non teneri ad abjurandam apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere ut eam abjurent coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium quatenus sit protestativus falsæ religionis : si vero sit æquivocus, potest illum deferre (1)» .

1948 — Apostatæ ordinis sunt clerici majorum ordinum qui relicto habitu et tonsura clericali, vitam sæcularem indebite et non ad transennam amplectuntur.

1949 — Contra illos sancita est tantum excommunicatio ferendæ sententiæ, quæ autem fit latæ sententiæ et episcopis reservata, si matrimonium contrahere præsumpserint (2). — Amittunt etiam privilegia clericalia et privandi sunt beneficiis obtentis.

1950 — Apostasia monachatus est criminosa abjectio vitæ monasticæ solemniter professæ, cum animo ad regulare institutum non amplius redeundi.

1951 — Isti tenentur ad omnes obligationes regulæ suæ. Privantur autem beneficiis et privilegiis sui ordinis et fiunt alieni a canone, ita ut, durante apostasia, ordinari nequeant nec ordines susceptos exercere (3).

(1) Const. Benedicti XIV, *Inter omnigenas,* 2 febr. 1744. Idem Pontifex : *De Synodo*, lib. XIII, cap. 20 n. 18 — (2) Const. *Apostolicæ Sedis*, § III, n. 1. — (3) Cap. 6 tit. *De Apostatis* IX, lib. V Decretal. ; Cap. 2 tit. *Ne clerici vel Monachi* etc., XXIV, lib. III, in VI. ; Const. *Apostolicæ Sedis* § V, n. 5.

SECT. II. — DE HÆRESI.

1952 — Hæresis est error hominis baptizati in intellectu voluntarius contra aliquem articulum fidei cum pertinacia conjunctus (1) — Id autem est de fide catholica quod in Verbo Dei scripto vel tradito revelatum et omnibus ab Ecclesia propositum est, tanquam de fide credendum.

1953 — Hæreticus judicandus non est ille omnis qui errat, sed qui pertinax est et perseverans in errore suo.

1954 — Pœnæ latæ contra hæreticos sunt : 1° excommunicatio latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ, non tantum contra eos, sed contra eorum fautores, receptores et generaliter defensores (2) ; — 2° depositio ab omni officio et beneficio, si clerici sint ; — 3° inhabilitas ad quodlibet officium aut beneficium obtinendum, quæ extenditur ad filios eorum usque ad secundam generationem (3) ; — 4° irregularitas ad ordines suscipiendos vel exercendos ; — 5° infamia juris et facti, ipso facto incurrenda ; — 6° privatio sepulturæ ecclesiasticæ.

1955 — Eadem pœna excommunicationis afficiuntur omnes et singuli legentes sine venia Sedis Apostolicæ libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, eosdemque libros retinentes, impri-

(1) S. Th. 2ª 2ª, q. XI. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis* § I. n. 1. — (3) Cap. 2 tit. *De hæreticis* II, lib. V in VI.

mentes et quomodolibet defendentes (1). — Huic autem pœnæ non subjiciuntur legentes vel retinentes ephemerides hæresim propugnantes (2).

1956 — Præceptum existit, et quidem grave, denuntiandi hæreticos ecclesiasticæ potestati, saltem si aliquid utile inde obtineri posse prævideatur.

1957 — Hæreticus occultus non amittit jurisdictionem qua ipse pollet. Probabilius hæreticus declaratus ea non privatur, ante sententiam saltem declaratoriam.

1958 — Certe prohibetur communicatio cum hæreticis, 1° in ipsa doctrina et in ritibus religiosis; — 2° quando inde sequitur pro catholico periculum perversionis; — 3° quando inde generatur scandalum (3).

1959 — Manet ideo prohibita cum hæreticis communicatio *in sacris,* scilicet participatio effectiva ritibus et cæremoniis hæreticorum. Licet autem eorum visitare templa et officiis adsistere, curiositatis tantum causa, necnon et præsens esse eorum exequiis, secluso scandalo et intentione civilis tantum honoris erga defunctos. Non licet autem sacerdoti catholico comitari cadaver hæretici a domo ad cœmeterium (4).

1960 — Licet preces effundere sive generatim, sive pro privatis, ad hæreticorum conversionem obtinendam; non licet autem eorum nomina in sacris

(1) Const. *Apostolicæ Sedis* § I n. 2. — (2) S. Cong. Indicis 27 april. 1880; Cong. S. Officii, 13 jan. 1892. Cfr. const. *Officiorum*, 8 Kal. feb. 1897. — (3) Cf. Instructio Emi. Cardinalis Vicarii directa ad parochos Urbis, die 12 jul. 1878 — (4) Cong. S. Officii, 19 jan. 1886 et 28 junii 1889.

proferre, nec eorum parentalia precibus et sacrificio missæ celebrare.

1961 — Princeps catholicus, juxta diversas circumstantias, tolerare potest etiam publice cultum hæreticorum. Hæc tolerantia videtur importare non tantum ædificationem templorum, sed etiam scholarum et hospitalium necnon et cœmeteriorum institutionem, pro sequacibus heterodoxi cultus.

1962 — Hæc tolerantia vero penitus differre debet a favore qui unice præstandus est religioni veræ seu catholicæ, cui cæteros cultus æquiparare penitus nefas est.

Sect. III. — DE SCHISMATE.

1963 — Schisma est separatio per contemptum et inobedientiam a legitimo Pastore.

1964 — Schisma potest esse speciale vel universale, prout aliquis se separat a suo episcopo legitimo, vel recusat obedientiam Romano Pontifici debitam. Hoc est schisma proprie dictum.

1965 — Schismatici eisdem pœnis afficiuntur quibus plectuntur hæretici (1). Ordinationes ab ipsis factæ sunt sacrilegæ et graviter illicitæ. Sunt autem validæ, si a ministro eorum, adhibeantur ritus legitimi et necessarii juxta praxim Catholicorum.

Sect. IV. — DE SIMONIA.

1966 — Simonia est studiosa voluntas emendi

(1) Const. *Apostolicæ Sedis* § I n. 3.

vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum, pretio temporali vel re pretio æstimabili (1).

1967 — Est etiam simonia si res spiritualis pro spirituali vel temporalis pro temporali contra legem ecclesiasticam in commercium adducitur.

1968 — Istæ autem res temporales illæ sunt quæ relationem habent ad ordinem spiritualem, vel quæ ordinantur ad temporalium rerum Ecclesiæ administrationem et ideo extra commercium sunt positæ, ex jure ecclesiastico.

1969 — Inde prohibentur resignatio beneficii in favorem alterius, ex pretio convento, et venditio rei sacræ, ut olei catechumenorum, calicis, numismatis benedicti ultra pretium mere materiale.

1970 — Est autem simonia juris divini et naturalis quando res spiritualis aut spirituali adnexa pro temporali datur et promittitur. Ideo, nulla hac de re dari potest dispensatio. — Simonia autem descripta art. 1968 est juris humani et ecclesiastici, et prohibita tantum lege ecclesiastica.

1971 — Inde, ex concessione Pontificis, permitti potest resignatio beneficii cum reservatione pensionis aut beneficiorum permutatio.

1972 — Simonia est mentalis, conventionalis, realis vel confidentialis.

1973 — Simonia mentalis est quando aliquis alteri rem spiritualem confert, ea intentione ut sibi

(1) S. Th. 2ª 2ª q. 6, art. 1.

ipsi retribuatur aliquid temporale; vel si offeratur aliquid temporale cum spe accipiendi rem spiritualem, nullo tamen expresso aut tacito existente pacto.

1974 — Hæc simonia est peccatum; sed non subditur pœnis ecclesiasticis in foro externo; quia in hoc foro « de internis non judicat Ecclesia ».

1975 — Simonia conventionalis est externa conventio expressa vel tacita dandi vel recipiendi aliquid spirituale pro temporali et vice-versa. — Est pure conventionalis si ex neutra parte, fuerit executioni mandata: est autem conventionalis mixta si una pars rem promissam jam tradiderit.

1976 — Pœnæ a jure latæ generatim contra simoniam non videntur applicandæ simoniæ conventionali quia odia sunt restringenda. Remanet ergo punienda ex arbitrio judicis.

1977 — Simonia realis est conventio utrinque actu perfecta, saltem inchoative, scilicet locum habet quando pro re spirituali data est vel totaliter vel partim res temporalis promissa.

1978 — Est etiam simonia quæ dicitur confidentialis, quando scilicet aliquis beneficium suum alteri resignat, sub conditione expressa vel tacita quod ille, ex debito, idem beneficium iterum cedet aut fructus ejus persolvet sibi vel alteri v. g. fratri, aut nepoti concedentis, infra certum temporis spatium (1).

(1) Const. Pii IV, *Romanum Pontificem*, 17 oct. 1564 et S. Pii V, *Intolerabilis*, 14 nov. 1569.

1979 — Verbo rei temporalis in materia simoniæ, intelligitur id omne quod datur aut promittitur pro re spiriutali. Hoc dicitur etiam in jure *munus* seu *pretium*.

1980 — Ut dicit jus, « Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. — Munus ab obsequio est subjectio indebite impensa ; munus a manu pecunia est ; munus a lingua, favor » (1).

1981 — Per munus ab obsequio, intelligitur quodlibet ministerium aut obsequium quod vergat in commodum concedentis rem spiritualem (2).

1982 — Per pecuniam seu munus a manu designantur ea omnia quæ sunt pretio æstimabilia, sive mobilia sive immobilia sint, sive etiam agatur de remissione debiti.

1983 — Voce munus a lingua, exprimuntur commendationes et preces quæ, ex pacto, pro aliquo interponuntur.

1984 — Ad patrandam simoniam non requiritur expressa conventio, sed sufficit intentio implicita seu interpretativa obligandi seu etiam movendi aliquem ad bonum spirituale concedendum, intuitu pretii seu muneris.

1985 — Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjiciuntur : 1° rei simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices ; — 2° rei simoniæ confidentialis in beneficiis

(1) Can. 114, causa 1 q. I 2ª parte Decreti. — (2) Cap. 12 et 17 tit. *de Simonia* III, lib. V Decretal.

quibuscumque, cujuscumque sint dignitatis; — 3° rei simoniæ realis ob ingressum in religionem (1); — 4° omnes qui quæstum faciunt ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus (2).

1986 — Etiam collatio beneficii simoniace facta est invalida (3), et uterque ex complicibus perpetuo fit inhabilis ad ecclesiastica officia et beneficia (4). Certum non est hanc inhabilitatem existere, etiam ante sententiam judicis (5).

1987 — Nulla est et irrita electio simoniaca, etiamsi pretium datum fuisset a cæteris, inscio etiam electo; — non autem si data fuisset pecunia, ipso prohibente.

SECT. V. — DE CÆTERIS CRIMINIBUS.

1988 — Lex ecclesiastica plurimas pœnas apposuit ad sanctionem legis divinæ qua prohibet occisionem proximi.

1989 — Plurimis constitutionibus, nempe Sixti V *Effrænatam,* 29 oct. 1588, et Gregorii XIV *Sedes Apostolica,* 31 maii 1591, damnata fuit procuratio abortus et pœnæ sancitæ sunt contra reos. — Nunc subjiciuntur excommunicationi latæ sententiæ Ordinario reservatæ « procurantes abortum, effectu sequuto ». (6) Nec attenditur ad distinctionem inter fœtum animatum vel non.

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, § II n. 8, 9 et 10. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis,* § II; n. 11; Const. S. Pii V, *Quam plenum,* 2 jan. 1569. — (3) Cap. 8 tit. *De Pactis* XXXV, lib. I Decretal. — (4) Const. S. Pii V *Cum primum*, 1 april. 1566. — (5) Cap. 6, 11 et 13 tit. *De Simonia* III, lib. V Decretal. — (6) Const. *Apostolicæ Sedis* § III. n. 2. Cong. S. Officii, 10 dec. 1883. 31 maii 1884, 19 aug. 1889, 24 julii 1895 et 4 martii 1898, de occisione fœtus in sinu materno.

1990 — Mentionem etiam fecit jus de occisione filiorum (1), de expositione infantium et languidorum (2), de homicidio voluntario vel casuali (3), de torneamentis (4), ubi de agitatione taurorum in Hispania. — Contra reos horumce criminum, jus non determinavit pœnas inferendas, sed illas determinandas reliquit arbitrio judicis. — Homicidium vero plus minusve delictuosum parit irregularitatem (5).

1991 — In duello pugnantes non tantum privandi sunt sepultura ecclesiastica, sed « Duellum perpetrantes aut simpliciter aut ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quilibet complices, vel qualemcumque operam vel favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis », plectuntur excommunicatione latæ sententiæ R. P. simpliciter reservatæ (6).

1992 — Medicus et confessarius qui ex condicto, vel duello assisteret, vel remaneret in loco propinquo, cum intentione præbendi duellantibus suum ministerium, graviter peccat et excommunicationem incurrit (7).

1993 — Enumerat etiam jus crimina quæ committi possunt contra sextum Decalogi præceptum

(1) Tit. *de his qui filios occiderunt* X, lib. V Decretal. — (2) Tit. *De Infantibus et Languidis expositis* XI, lib. V Decretal. — (3) Tit. XII, lib. V Decretal — (4) Tit. XII, lib. V Decretal. — (5) Vide art. 1036 et seqq. — (6) Const. *Apostolicæ Sedis* § II .n. 3. — (7) Cong. S. Officii, 31 maii 1884.

et sunt: adulterium, stuprum, fornicatio, concubinatus, meretricium, incestus, sacrilegium et crimina contra naturam.

1994 — Ex Concilio Tridentino (1), viri concubinarii, post trinam monitionem inutiliter factam, excommunicatione sunt feriendi; et si in concubinatu, per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur.

1995 — Excommunicationi latæ sententiæ Ordinario reservatæ subduntur omnes in sacris ordinibus constituti vel regulares vel moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere præsumentes, necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes (2).

1996 — Confessarii sollicitantes ad turpia plectuntur pœnis enumeratis in constitutione Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ* postquam fuerint de facinore judicati et convicti.

1997 — Contra omnes alios hac in re delinquentes non statuitur pœna a jure, sed ipsi condemnandi sunt juxta circumstantias ex arbitrio judicis.

1998 — Simili pœna arbitraria puniri possunt raptores; incendiarii; violatores ecclesiarum; fures; usurarii, saltem usuras immodicas exigentes (3);

(1) Sess. XXIV, cap. 8 de Ref. matrimonii. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis* § III. n. 1. Cong. S. Officii, 22 dec. 1880. — (3) Const. Benedicti XIV, *Vix pervenit*, 1 nov. 1745; Resp. Cong. S. Officii, 18 aug. 1830, 7 sept. 1831, 17 jan. 1838, 26 mart, 1840 et 28 febr. 1872; S. Pœnitentiaria, 16 sept. 1830, 14 aug. 1831, 11 febr. 1831, 11 febr. 1832 et 18 april. 1889.

falsarii; sortilegi; venatores contra præcepta Ecclesiæ; clericorum percussores; maledicti et blasphem et libellorum famosorum auctores (1).

1999 — Plectuntur excommunicatione latæ sententiæ R. P. simpliciter reservatæ immunitatem asyli ecclesiastici, usu temerario, violare jubentes aut violantes (2) ».

2000 — Subduntur excommunicationi latæ sententiæ R. P. specialiter reservatæ: 1° usurpantes vel sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes; 2° invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca, ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes (3).

2001 — Eadem excommunicatione feriuntur omnes falsarii litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per R. P. vel S. R. Ecclesiæ vice-cancellarios seu gerentes vice eorum aut de mandato ejusdem R. Pontificis signatarum; necnon falso publicantes Litteras apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine R. Pontificis, seu Vice-cancellarii aut gerentis vices ipsorum (4).

2002 – Excommunicationi latæ sententiæ Ordi-

(1) Quoad spiritismum, Cong. S. Officii, 30 martii 1898. — (2) Const. *Apostolicæ Sedis* § II, n. 5. — (3) Const. *Apostolicæ Sedis*, § I n. 11 et 12. — (4) Const. *Apostolicæ Sedis* § I n. 9.

nario reservatæ subduntur Litteris apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes (1).

2003 — Episcopis et prælatis superioribus pro hibetur ne excessus committant in exercitio jurium suorum. Sic, in specie, dicuntur excessum committere: si novas exactiones imponant; si censuras indebitas subditis infligant; si clericos ita deprimant ut laicis aspernabiles ipsi reddantur (2); si lædant privilegia et immunitates prælatorum inferiorum (3); si beneficia liberæ collationis sibimetipsis confe rant (4); si beneficia conferant indignis (5); si procedant contra religiosorum exemptionem (6). Contra illos tamen non determinatur pœna juridica, cum ipsi judicari debeant a Romano Pontifice.

2004 — Neque etiam juridice determinatur pœna infligenda clericis vel laicis qui excessus committunt erga prælatos suos, sive despiciendo eorum personam aut auctoritatem, sive obedientiam recusando illis debitam ad tramites juris.

(1) Const. *Apostolicæ Sedis* § III n. 3. — (2) Cap. 1 tit. *De excessibus prælatorum* XXXI, lib. V. Decretal. — (3) Cap. 5 et 7 ejusd. tit. — (4) Cap. 3 ejusd. tit. — (5) Cap. 11 ejusd. tit. — (6) Cap. 16 et 17 ejusd. tit. et Clement. unica ejusd. tit. VI.

ADDENDA.

I

SYLLABUS

COMPLECTENS PRÆCIPUOS NOSTRÆ ÆTATIS ERRORES.

§ I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus

I — Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et iccirco immutationibus obnoxius ; Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

II — Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

III — Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter; sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

IV — Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationi vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognis

tionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

V — Divina revelatio est imperfecta et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat.

VI — Christi fides humanæ refragatur rationi ; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

VII — Prophetiæ et miracula in Sacris Litteris exposita et narrata sunt poëtarum commenta, et Christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa ; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa ; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

§ II.

Rationalismus moderatus.

VIII — Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, iccirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

IX — Omnia indiscriminatim dogmata religionis Christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint.

X — Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit ; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati.

XI — Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

XII — Apostolicæ Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

XIII — Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

XIV — Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

§ III

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV — Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

XVI — Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

XVII — Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

XVIII — Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem Christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

§ IV

Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, societates biblicæ, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; in alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849; in Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum*, 8 dec. 1849; in alloc. *Singulari quadam*, 9 decemb. 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur mœrore*, 10 aug. 1863.

§ V

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX — Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura, ac limites intra quos eadem jura exercere queat.

XX — Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

XXI — Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem Catholicæ Ecclesia esse unice veram religionem.

XXII — Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

XXIII — Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

XXIV — Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

XXV — Præter potestatem episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

XXVI — Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi .

XXVII — Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

XXVIII — Episcopis sine gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas Litteras promulgare.

XXIX — Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per gubernium fuerint imploratæ.

XXX — Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

XXXI — Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

XXXII — Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur ; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

XXXIII — Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

XXXIV — Doctrina comparantium Romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

XXXV — Nihil vetat, alicujus concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri.

XXXVI — Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

XXXVII — Institui possunt nationales Ecclesiæ ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

XXXVIII — Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

§ VI

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX — Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

XL — Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

XLI — Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant *ab abusu*.

XLII — In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

XLIII — Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas conventiones (vulgo *concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

XLIV — Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

XLV — Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in gra-

duum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

XLVI — Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

XLVII — Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

XLVIII — Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantum modo vel saltem primario spectet.

XLIX — Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

L — Laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant diœcesium procurationem, antequam ipsi canonicam a Sancta Sede institutionem et apostolicas Litteras accipiant.

LI — Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.

LII — Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

LIII — Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familia-

rum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

LIV — Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

LV — Ecclesia a statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

§ VII

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI — Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

LVII — Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

LVIII — Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

LIX — Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent..

LX — Auctoritas nihil aliud est nisi numerus et materialium virium summa.

LXI -- Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

LXII — Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.

LXIII — Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

LXIV — Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agitur.

§ VIII

Errores de Matrimonio Christiano.

LXV — Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

LXVI — Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

LXVII — Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

LXVIII — Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

LXIX — Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

LXX — Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

LXXI — Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat,

ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

LXXII — Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

LXXIII — Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur.

LXXIV — Caussæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

N. B. — Huc facere possunt duo alii errores: de clericorum cœlibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846, posterior in Litteris Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

§ IX

Errores de Civili Romani Pontificis principatu.

LXXV — De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

LXXVI — Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

§ X

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII — Ætate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

LXXVIII — Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus

liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

LXXIX — Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

LXXX — Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

II

CONSTITUTIO SANCTISSIMI D. N. PII IX QUÆ CENSURÆ LATÆ SENTENTIÆ LIMITANTUR.

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedès congruum, supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tutandam, effrenemque improborum licentiam coërcendam et emendandam sancte per singulas ætates indictæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse ; quasdam etiam temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per Universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu

proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque Censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi ill, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

§ I

Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ.

Itaque excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus:

I — Omnes a Christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet eorum defensores.

II — Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

III — Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

IV — Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romano-

rum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V — Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI — Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.

VII — Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones : item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.

VIII — Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios lædentes vel perterrefacientes.

IX — Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum : necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices prædictorum.

X — Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mor-

tis articulo, si alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

XI — Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.

XII — Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus revocatis insuper earumdem respectu, quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint.

§ II

Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

I — Docentes vel defendentes, sive publice, sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV in const. *Suprema*, 7 jul. 1745 ; *Ubi primum*, 2 jul. 1746 ; *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746.

II — Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

III — Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV — Nomen dantes sectæ *Massonicæ*, aut *Carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denunciantes, donec denunciaverint.

V — Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

VI — Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam a S. Pio V in const. *Decori* præscriptam.

VII — Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.

VIII — Reos simoniæ realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX — Reos simoniæ confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

X — Reos simoniæ realis ob ingressum in Religionem.

XI — Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur constitutione S. Pii V, *Quam plenum*, 2 jan. 1569.

XII — Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex eis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII — Omnes qui excommunicatione mulctantur in constitutionibus S. Pii V *Admonet nos*, IV Kal. april. 1567, Innocentii IX *Quæ ab hac Sede*, pridie nonas nov. 1591, Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam*, 26 jun. 1592, et Alexandri VII *Inter cæteras*, nono Kal. nov. 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

XIV — Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremæ-Unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV — Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Cœmeteriis sive Catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

XVI — Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII — Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

§ III

Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus :

I — Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes ; necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

II — Procurantes abortum, effectu sequuto.

III — Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

§ IV

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ.

Excommuni ationi latæ sententiæ nemini reservatæ subjacere declaramus :

I — Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II — Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii ; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes ; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.

III — Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* de Reb. Eccl. non alienandis.

IV — Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecess.

Nostris Gregorio XV, const. *Universi*, 20 aug. 1622 et Benedicto XIV const. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 Jun. 1741.

Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis pœna in Decreto Sess. IV *De editione et usu sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

§ V

Suspensiones latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ

I — Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos alios... Prælatos de prædictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

II — Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III — Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

IV — Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V — Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

VI — Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII — Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ad alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

§ VI

Interdicta latæ sententiæ reservata.

I — Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis

ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale futurum Concilium appellantia.

II — Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus præter eas quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo vigore persliterunt sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, cœtuum, locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit : quæ vero privilegia aut facultates, sive a prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque

concessæ fuerint ea omnia, easque omnes Nostra hac constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore juris, aut Apostolicis constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus, omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *sess*. XXIV, *cap*. 6, *de ref*. in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac nostra constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

. . . .

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCCCLXIX, IV idus octobris, Pontificatus Nostri anno XXIV.

III

EX CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Instructio Curiis Ecclesiasticis, de forma procedendi œconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum (1).

Die 11 junii 1880

Sacra hæc Congregatio E. E. et R. R. mature præsentem Ecclesiæ conditionem considerans, quæ pene omnino impeditur quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et inspecto etiam defectu mediorum aptorum ad regularem Curiarum ordinationem, constituit facultatem Ordinariis expresse concedere ut formis magis œconomicis utantur, in exercitio suæ disciplinaris jurisdictionis super clericis. Ut autem tota justitiæ ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas, a Curiis servandas.

I — Ordinario pastoralis obligatio incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorum agendi rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad præcavendas et eliminandas perturbationes inter eosdem.

II — Ex his remediis alia sunt *præventiva* et alia *repressiva* et medicinalia. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quo-

(1) Hæc instructio missa fuit episcopis Italiæ, in idiomate eorum vernaculo. Hujusce textus versio a nobis cum omni cura conscripta, hic proponitur. Textus enim latinus authenticus hujus documenti adhuc desideratur.

minus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariæ, causæque proximæ ad delinquendum removeantur Altera finem habent revocandi reos ad bonum sensum et reparandi reatus eorum consequentias.

III — Conscientiosæ discretionis Ordinarii est applicare ista remedia ad tenorem canonicarum præscriptionum secundum casuum et circumstantiarum gravitatem.

IV — Inter media præventiva, annumerantur præcipue secessus ad exercitia spiritualia, admonitiones et præcepta.

V — Has provisiones præcedere debet summaria facti verificatio, quæ ab Ordinario notanda est ut *ad ulteriora* procedere queat, si opus sit, et etiam ad reddendam rationem auctoritati superiori, in casu legitimi recursus.

VI — Canonicæ monitiones fiunt aut in forma paterna et secreta (etiam per epistolam vel per interpositam personam) aut in forma legali, ita tamen ut de earum executione semper constet ex aliquo actu.

VII — Quatenus monitiones infructuosæ remaneant, Ordinarius præcipit curiæ ut delinquenti injungatur analogum præceptum, declarando in eodem quid ille agere aut omittere debeat, cum comminatione pœnæ ecclesiasticæ correspondentis, quam incurret in casu transgressionis.

VIII — Præceptum intimatur prævento a Cancellario coram Vicario generali, aut coram duobus testibus ecclesiasticis vel laicis probatæ integritatis.

§ 1. Actus subsignatur a partibus præsentibus, et a prævento quoque, si velit.

§ 2. Vicarius generalis potest imponere testibus juramentum servandi secretum, quatenus id prudenter requirat tituli indoles de quo agitur.

IX — Quoad media *pœnalia,* animadvertant reverendissimi Ordinarii, per præsentem instructionem haud derogatum esse solemnitatibus, per sacros canones, per constitutiones Aposto-

licas et alias ecclesiasticas dispositiones præscriptis, ubi eædem libere et efficaciter applicari queunt ; sed formæ œconomicæ intendunt consulere illis casibus et Curiis, in quibus nec potest nec putatur expedire ut solemnes processus adhibeantur. Remanet etiam in suo pleno robore, remedium extrajudiciale *ex informata conscientia* pro reatibus occultis, decretum a S. Concilio Tridentino, in cap. 1, sess. XIV de Ref., adhibendum cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. Cong. Concilii in pluribus resolutionibus, et in specie in causa *Bosnien.* et *Sirmien.* 20 dec. 1873.

X — Quando procedi debet criminaliter sive propter inobservationem præcepti, aut propter reatus communes, aut propter transgressionem legum Ecclesiæ, processus confici potest formis summariis et absque judicii strepitu, servatis semper justitiæ substantialibus regulis.

XI — Processus introducitur *ex officio* aut in sequelam instantiæ, querelæ aut notitiæ quæ alio modo pervenit ad Curiam, et prosequitur usque ad finem, eo consilio ut cum omni cautione et prudentia veritas detegatur, et habeatur cognitio tum delicti, cum culpabilitatis aut innocentiæ accusati.

XII — Processus compilatio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, cui assistat actuarius.

XIII — Omnis Curia debet abere suum Procuratorem fiscalem in favorem justitiæ et legis.

XIV — Pro occurrentibus intimationibus et notificationibus, si haberi non potest opera cursorum Curiæ, suppletur faciendo illas præsentare per qualificatam personam, quæ factum certioret ; vel eas transmittendo, cum commendatione, per litterarum mittendarum officium, illis in locis in quibus hoc invaluit systema, reclamando testimonium præsentationis, receptionis aut recusationis.

XV — Basis facti delictuosi constitui potest per expositionem

in processu habitam, roboratam authenticis informationibus, aut confessionibus extrajudicialibus, aut testium depositionibus; et quoad titulum inobservationis præcepti, constat per novam exhibitionem decreti et actus intimationis, perfectorum modis enuntiatis art. VII et VIII.

XVI — Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati, necesse est ut habeatur probatio legalis, quæ debet continere elementa apta ad demonstrandam veritatem, aut saltem ad inducendam moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII — Personæ, quas convenit examinare, semper audiuntur separatim.

XVIII — Testes ad probationem aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, audiri debent sub juramento, quod extendi potest, si occurrat, etiam ad obligationem secreti.

XIX — Testium absentium aut in aliena diœcesi morantium, exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti; et auctoritas requisita petitioni correspondet, servando præsentis Instructionis normas.

XX — Quoties indicentur testes ob facta vel adjuncta essentialiter spectantia merito causæ, qui examini subjici nequeant, eo quod censeatur inconveniens ut intimentur, aut quia vocati abnuant, mentio de hoc fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium qui *de relato* aut alio modo cognoscant id quod exquiritur.

XXI — Quum collectum fuerit quidquid necessarium est ad factum et ad accusati responsabilitatem constituendam, iste vocatur ad examen.

XXII — In intimatione, nisi prudentia id vetet, eidem exponuntur per extensum accusationes adversus eum collatæ, ut possit se præparare ad respondendum.

XXIII — Quando autem, ob accusationum qualitates aut ob

alia adjuncta, prudens non sit easdem in notificatione exprimere, in hac solum innuitur eumdem ad examen vocari ut se excuset in causa, quæ ipsum respicit uti accusatum.

XXIV — Si idem se præsentare renuat, iteratur intimatio, in qua eidem præfigitur congruus terminus peremptorius ad comparendum, eique notificatur, quod si adhuc inobediens remaneat, habebitur ut contumax ; et pro tali in facto tenebitur, quatenus, absque probato legitimo impedimento, istam quoque transgrederetur intimationem.

XXV — Si compareat, auditur in examine ; et quatenus facia inductiones alicujus valoris, istæ debent, quantum fieri potest, exhauriri.

XXVI — Proceditu r inde ad contestationem facti delictuosi et conclusionum inde habitarum, ad retinendum accusatum culpabilem, lapsumque in relativis pœnis canonicis.

XXVII — Accusatus ita habens plenam cognitionem illius quod existit in actis contra se, ultra quod respondere potest, uti etiam valet jure quod habet sese defendendi per semetipsum.

XXVIII — Potest quoque, si id postulet, obtinere præfixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, præcipue quando ob dispositionem art. XXIII, nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

XXIX — Completo processu, actorum compilator restrictum conficit essentialium conclusionum ejusdem.

XXX — In die qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi sese repræsentare et defendere ab alio Sacerdote aut laico patrocinatore, antea approbatis ab Ordinario.

XXXI — Quatenus præventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio.

XXXII — Defensor, cum debita cautela, cognitionem haurit processus et restricti in Cancellaria, ad hoc ut possit peragere defensionem, quæ potest exhiberi ante propositionem causæ,

in foliis manuscriptis. Ipse quoque subjicitur oneri secreti jurati, quatenus, Ordinarii judicio, natura causæ id exigat.

XXXIII — Transmittitur deinde procuratori fiscali processus et restrictus ut ipse munere suo *ex officio* fungatur; uterque traditur Ordinario, qui, plena causæ cognitione adepta, diem constituit in qua eadem sit disceptanda et decidenda, curans, ut id accusato notificetur.

XXXIV — Die præstituta, proponitur causa coram Vicario generali cum interventu procuratoris fiscalis, defensoris et cancellarii.

XXXV — Post opinionem procuratoris fiscalis et deductiones defensionis, profertur sententia cujus dispositiva dictatur cancellario, cum expressa mentione, in casu condemnationis, canonicæ sanctionis accusato applicatæ.

XXXVI — Sententia intimatur prævento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem.

XXXVII — Pro appellatione servantur normæ statutæ a constitutione *Ad militantis* s. m. Benedicti XIV, 30 Martii 1742, aliæque emanatæ ab hac S. Congregatione in Decreto 18 decembris 1835 et in Littera circulari diei 1 augusti 1851.

XXXVIII — Comparitio pro appellatione fieri debet infra terminum decem dierum a notificatione sententiæ; quo termino inutiliter elapso, ipsa sententia est in eo statu ut executioni mandetur.

XXXIX — Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam fuit appellatum, omnes actus originales causæ, id est processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL — Auctoritas ecclesiastica superior, habita cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti ut infra terminum viginti dierum constituat defensorem, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

XLI — Decurso enuntiato termino peremptorio absque effectu,

censetur appellantem renuntiavisse beneficio appellationis, et ideo hæc declaratur perempta ab auctoritate superiori.

XLII — Si appellatio producatur a sententia alicujus curiæ episcopalis ad Metropolitanam, archiepiscopus in cognitione et decisione causæ, sequitur methodum procedendi in hac instructione traditam.

XLIII — Si contingat clericum, ex injuria privilegii fori, ob communia delicta, subjici processui et judicio laicæ potestatis, Ordinarius, in hoc casu, summariam sumit delictuosi facti cognitionem, atque perpendit an, ad tramites sacrorum canonum, locus dari queat infamiæ, irregularitati aut alteri ecclesiasticæ sanctioni.

§ 1. Donec pendeat judicium aut accusatus detentus sit, prudens est ut Ordinarius sese limitet ad media provisionalia.

§ 2. Expleto tamen judicio, et libero reddito accusato, Curia juxta exitum informationum ut supra assumptarum, procedit ad tramites dispositionum præsentis instructionis.

XLIV — In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus, quæ occurrere possunt, Ordinarii consilium accipiant ab hac S. Congregatione, ad vitandas contentiones et nullitates.

Ex audientia S. S.mi diei 11 junii 1880.

SS. Dominus Noster LEO div. prov. P. P. XIII, audita relatione præsentis instructionis ab infrascripto Sacr. Congreg. Episcoporum et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est. Romæ, die et anno quibus supra.

I. CARD. FERRIERI PRÆF.

J. B. AGNOZZI, SECRETARIUS.

Cum a nonnullis Galliarum Episcopis petitum fuerit, ut ad eorum Diœceses extenderetur judicialis procedendi methodus, vulgo *Istruzione alle Curie Ecclesiastiche sulle forme di procedimento economico nelle Cause disciplinari e criminali de Chierici*, ab hac S. Congregatione Episcoporum et Regularium edita et a Sanctitate Sua approbata et confirmata in Audientia diei 11 junii 1880 SSmus Dominus Noster LEO div. prov. PP. XIII referente infrascripto ejusdem Sacræ Congregationis Secretario, porrectis precibus annuens, benigne indulsit ut Galliarum Ordinarii in suis ecclesiasticis Curiis enunciata judiciali methodo uti valeant. Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria præfatæ S. Congregationis sub die 14 januarii 1882.

I CARD. FERRIERI PRÆF.

J. B. AGNOZZI, SECRETARIUS

Ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium.

Sacra hæc Congregatio Episc. et Regul. retinens quod modi procedendi œconomice, ordinati per Instructionem diei 11 junii 1880, pro Curiis ecclesiasticis in causis criminalibus quæ clericos respiciunt, observari quoque debeant in actis appellationis interpositæ a sententiis ipsarum Curiarum, opportunam censuit publicationem sequentis dispositionis :

I — Defensor rei vel reorum, eligendus inter advocatos a Sacris Congregationibus approbatos, prævio deposito de more, prudenter notitiam sumit restricti et processus coram judice relatore.

II — Quatenus vero, ratione indolis causæ, expedire censeat Em. D. Cardinalis Præfectus, jubetur defensori servare secretum cum jurisjurandi vinculo.

III — Exhibitis defensionibus in scriptis, eædem, quatenus Em. D. Cardinalis Præfectus æque opportunum censeat, communicari queunt Procuratori fiscali curiæ *a qua* ut ille, si necessarium id existimaverit, in scriptis respondeat.

IV — Responsi Procuratoris fiscalis, defensor, cum debita cautela, cognitionem sumere potest coram judice relatore, ut plicare ultimo valeat, pariter in scriptis.

V — Omnino autem excluditur defensoris et Procuratoris fisci interventus in adunatione Cardinalium, quando causa decidenda proponitur.

VI — Exceptis dispositis in præcedentibus articulis, in sua plena vi remanent, quoad omnes alias partes, ea quæ S. Congregatio constituit per Decretum diei 18 Decembris 1835, per Litteras circulares, diei 1 augusti 1851 et per ordinationem diei 6 junii 1847.

(*Probavit S. Pontifex Leo XIII, die 26 martii 1886*).

INDEX

CAPUT PRÆVIUM.

DE PROLEGOMENIS.

ADDENDA.

INDEX RERUM

Numeri indicant articulos
